






LIBRARY OF



INTRODUCTIO

IN

LIBROS SACROS

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

USUI EORUM ACCOMMODATA

QUI A DISCIPLINIS PHILOSOPHICIS

AD SCRIPTURÆ S. ET THEOLOGIÆ STUDIA

GRADUM FACERE PARANT

Editio Quinta





AUGUSTAE TAURINORUM
EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI

MDCCCXCV



L. S.

Nullus adhuc, quod sciamus, prodiit libellus, qui Theologiae candidatos iam satis in Philosophiae curriculo exercitos, ad Scripturae sacrae studia quasi manu ducat, et, ad percipiendos illico ex inusitatis iis studiis fructus copiosus, subsidia eis ministret necessaria. Quas quidem partes quum nos hodie sic suscipiendas putemus, ut, in ea penuria, auxilio ipsis venire nos posse videamur, nostri etiam officii est, hoc loco exponere, quod, in exscribendo hoc opusculo nostrum sit propositum, et quis, in scholis, usus eius esse possit opportunus, et vero etiam, nostra quidem opinione, pernecessarius; hoc est, declarandum est nobis, quibus rationibus inducti, hanc Introductionem in Vet. et Novi Testamenti libros, *in publicum proferendam arbitremur.*

In primis autem inter omnes studiosae iuventutis moderatores, qui reapse eo nomine condecorari mereantur, convenit, ita rationem studiorum humanitatis esse instituendam, ut aetas puerilis ad graecas et latinas linguas, artes, disciplinasque omnes plane informanda, simul etiam a teneris annis ad religionis, rerumque illuc pertinentium, studia praesertim sese conferat, ut ne a christianis praeceptoribus instructi iuvenes christiani, Athenis tamen, Pericle dominante, aut, imperante Augusto, Romae, nati potius et educati, quam in sinu Ecclesiae catholicae omni scientiarum genere,

virtutibusque sublimioribus affluente, progeniti et enutriti fuisse videantur. Unde fit, ut Historia sacra, seu primaevae et iudaicae religionis ortus, status, divinaque omnis procuratio, tum etiam tota religionis christianae historia, miraculosa eius exordia, incrementa, et perpetuitas, in ipsis studiorum humaniorum incunabulis, explicentur, et pueris addiscenda tradantur, ut ita earum rerum cognitione, caetera omnia, humana et profana, non temere et sine iudicio, sed prudenter et aequitate noverint dimetiri. Eae autem institutiones, in Gymnasiis, cum cessante discipulorum infantia, non cessant; sed contra, crescente aetate, tum in scholis, speciatim per hebdomadem, doctrinae christianae, et Historiae sacrae destinatis, cum etiam vel in ipsis optimarum litterarum tradendis disciplinis, maius quotidie capiunt incrementum; quum quidquid venustatis et elegantiae in Litteris sacris occurrit, hoc est, divini earum lepores et ornatus litterarii, mira verborum concisio, sententiarum vis, orationisque elatio et altitudo, in Poësi et Rhetórica soleant pertractari. Ita primis saltem labiis sacras illas delicias attigerint ii, quibus studiorum humaniorum stadia emensis in animo est, iam ad scholas Universitatum transire, atque, aliqua, utcumque imperfecta, ratione poterunt diiudicare, quantae et quam purae eos maneant voluptates, quibus a divina providentia sacerdotio destinatis, iam brevi concessum erit, easdem eas delicias quotidie sensu gustare, et pleno ore combibere.

Ut vero electa haec ad sacrum Christi ministerium iuventus, quod iam didicit, non obliviscatur, et ad Scripturae s. arcana tute investiganda, per studiorum philosophicorum curriculum, quotidie propius praeparetur, nos, duobus illis annis, cursum philologiae sacrae utilissime ei tradendum arbitramur, atque hisce scholis nullum librum magis esse accommodatum, quam ipsum Nov. I.-C. Testamentum, grae-

ce conscriptum. Etenim permagni refert iuniorum illorum Philosophiae candidatorum, plane habere perspectum, quantum e linguae graecae cognitione accedere possit studiis scripturisticis, commodi et facilitatis, atque adeo quantum sibi gratulandum habeant, quod ad litteras graecas gnaviter semper incubuerint, praeceptoresque nacti sint huius linguae peritissimos. Id autem vel maxime intelligent e philologica textus originalis Nov. Testamenti interpretatione; praesertim ubi praeceptori curae est, non multa sed multum, idque non leviter, sed res etiam minutissimas consectando et investigando, interpretari. Incredibile est, quantos ex iis praeceptionibus fructus, ad faciliorem Vulgatae latinae intelligentiam percipere queant. Quod quidem non paucis levibusve argumentis, sed quotidiana decem annorum experientia, nobis comprobatum est. Illud autem silentio hic non est praetereundum, nos summa cum auditorum nostrorum utilitate, editionem catholicam P. H. Goldhagen, ex quo ea prodiit, cura et typis P. Kersten, viri doctissimi, ad praelectiones nostras continue adhibuisse; quam editionem prae caeteris omnibus, nostrorum seminariorum alumnis iam graviores ad doctrinas philosophicas et theologicas incumbentibus, hic iterum atque iterum commendamus.

Ad haec omnia si, posteriore disciplinarum philosophicarum anno, haec nostra, quam nunc in lucem producimus, introductio in Vet. et Nov. Testamenti libros, *saltem bis singulis septimanis, explananda addatur, iam sufficienti instructi supellectile ad quotidianam Scripturae s. lectionem eiusque a professore, in scholis theologicis, faciendam explanationem accedent; neque fiet, ut, quemadmodum* terentianum Maurum sine magistro attingere non auderemus, *ita in hos sacros libros, sine duce, irruere, atque de iis, sine praeceptore, planeque inepti, contra S. Augustini monita, sententiam ferre sustineamus*

Haec de huius libelli usu dixisse, nobis sufficiat. Paucis nunc necesse est agere de modo et ratione, qua eum in publicam lucem edendum curavimus, ne forte imperiti autument, nos tam egregii opusculi esse auctores, ubi non nisi diligenter illud nos typis mandasse, atque duo ultima capita ex aliis scriptoribus contracta, ne, quod summo opere de archaeologia biblica erat necessarium, in eo desideraretur, solummodo adiunxisse, profitemur. Itaque sex prioribus libri capitibus exhibetur, quidquid de Scripturae s. dignitate, essentia, existentia, libris, auctoribus, sensibus, interpretatione, textibus, tum etiam de legibus in recta et catholica Litterarum divinarum interpretatione observandis, de figuris, tropis, variisque loquendi modis Scripturae s. propriis, tradidit eruditissimus popularis noster Henricus Bukentop. Quo in edendo opere, praeter ipsam libri utilitatem, non parum nos movit ipsius patriae amor; quum ita palam fiat, ut in gravissimis omnibus doctrinis, ita praesertim hac in re, non tantum summae eruditionis monumenta, verum etiam aptissima ad eam eruditionem comparandam enchiridia nobis a maioribus nostris fuisse transmissa. Ultimis duobus capitibus, ad normam Fourerii Ackermann, cuius archaeologiae biblicae illic brevissimam damus epitomen, agitur de iis omnibus quae ad facilem Scripturae sacrae intelligentiam, ex antiquitatibus domesticis, politicis et sacris plurimum conducere possint. In promptu igitur est, in exiguo hoc libello congesta reperiri, quaecumque latissime exponit Cl. Glaire duobus prioribus libris egregii operis quod inscribitur: Introduction historique et critique aux livres de l'Ancien et du Nouveau Testament, *et cuius loca parallela in opusculi nostri conspectu, non sine aliquo discipulorum emolumento indicari posse putavimus; vel ideo maxime, quod ipse Cl. Glaire illud tantummodo sibi proposuisse videtur, ut, in plurimis a F. Ackermann immutatam, I. Iahni*

editionem gallice sibi interpretandam, et non raro vel immutandam vel locupletandam duxerit.

Quum hodieque omnes fere, in Seminariis, Biblia Sacra, *cum paraphrasibus P. de Carrières, et perpetuis Menochii commentariis, sibi comparare consueverint, et brevia, in eo opere, ad singulos libros sacros prolegomena reperiantur, nihil, praeter contractum archaeologiae compendium, huic libello adiicimus: idque ideo praecipue, quod ipsi Scripturae s. professores, priusquam ad singulos libros interpretandos adgrediantur, multa solent, in alteris Seminariorum Sectionibus, docte et utiliter praefari, et neque introductionis huius natura, neque innumerae aliae disciplinae philosophicae omnino patiuntur, ut in Prioribus nostris Sectionibus, ipsam Scripturam s. exegetice pertractemus, aut de singulis eius libris, ea, qua par est, cura, ex ordine, disputemus.*

Ut autem, quae fuerit, in edendo hoc libello, mens nostra, plane innotescat, illud praeterea addendum ducimus, totum opus, in claras brevesque quaestiones a nobis redactum esse, partim ut ita libri usum redderemus commodiorem, partim etiam ut, ubi longius excurrere nobis videtur Bukentop, illic pauciores proponeremus quaestiones, quod egimus in iis capitibus, in quibus fusius forsan, quam necesse est, de rebus ad Rhetoricam sacram pertinentibus, more Sal. Glassii, disputat; in aliis autem locis, ubi res quasdam levius praeterire videtur, eas nobis liberum esset, adiectis aliquot animadversionibus, salvo, neque ulla ratione immutato auctoris opere, paulo altius perscrutari.

Tandem mappa geographica Scripturae s. prorsus accommodata, aliaeque tabulae, in quibus vel Hebraeorum exhibetur ponderum, monetarum, et mensurarum valor, vel exsculpta reperiuntur praecipua instrumenta ad cultum divinum, in veteri Lege, adhiberi solita, sic, nisi forte nimium nobismet ipsis adblandiamur, huius libelli utilitatem augere

videntur, ut vel maxime ad studia scripturistica sese accingentibus eum profuturum esse putemus, atque iam plurimum nostris auditoribus, abhinc biennio, profuisse profiteamur; quod quidem plurimi e nostris discipulis, qui, anno proxime elapso, in altera Seminarii nostri Sectione, peracto eo cursu, prorsus sese in ea studia abdiderunt, ultro lubentesque nobis declararunt. Utinam ab aliis idem de eo iudicium feratur! Vale.

Mechliniae septimo id. april. 1842.



INTRODUCTIO

IN LIBROS SACROS

VETERIS ET NOVI TESTAMENTI

CAPUT PRIMUM

DE SCRIPTURAE SACRAE DIGNITATE, ESSENTIA, EXISTENTIA, LIBRIS, AUCTORIBUS, SENSIBUS, INTERPRETATIONE, AC VARIIS TEXTIBUS, PRAESERTIM DE LATINA EDITIONE VULGATA

§. 1. SCRIPTURAE S. NOMINA

Deus multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis (Hebr. 1.) ostendit multiplex esse verbum, quo suam alloquitur creaturam. Inter haec eminet scriptum, cuius summam esse praestantiam, maximam utilitatem, sed non absolutam ad aeternam salutem necessitatem, demonstrant sequentia.

Verbum quo Deus scripto loquitur, etiam ab ipso vocatur antonomastice *Scriptura* Luc. 4. Item *Scripturae sanctae* Rom. 1. *Sacrae Litterae* 2. Tim. 3. *Libri sancti* 1. Machab. 12. Est vere *Scriptura sancta* ratione auctoris primarii, qui est ipse Deus *Sanctus Sanctorum* Dan. 9. Item secundarii, qui sunt *sancti Dei homines* 2. Petr

1. *Sancta* ratione materiae, *in qua, quidquid docetur veritas, quidquid praecipitur bonitas, quidquid promittitur felicitas est.* Hugo de s. Vict. libr. de Script. cap. 1. *Sancta* denique ratione finis et effectus: *Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* 2. Tim. 3. *Sunt verae sacrae litterae, quae sacros faciunt, et deificant.* Clemens Alex. Orat. Paraen. *Haec scripta sunt, ut credatis, et ut credentes vitam habeatis* aeternam Io. 20.

Sint ergo divinae Scripturae semper in manibus tuis, et iugiter in mente volvantur. S. Hieron. epist. 14.: etenim *geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, sive quia a mundi vanitatibus abstractum hominem, ad amorem Dei perducit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur, sicut psalmista ait: quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Et ideo, fratres carissimi, quicumque ex vobis lectiones sacras legere, et intelligere possunt, in his studium impendant, ut earum frequenti meditatione utantur. Cum vero magisterio coelesti instructi quid faciendum, quidve vitandum sit, dilectissimi, accipiatis, non sit mora, in faciendo, quod intus sapitis intelligendo; quia, ut b. Paulus apostolus ait: non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* ILLE BEATISSIMUS EST, QUI DIVINAS SCRIPTURAS VERTIT IN OPERA. S. Aug. serm. 112. de temp.

Antonomastice quoque sacra volumina, etiam ab ipsa Scriptura in graeco textu, vocantur *Biblia*, ut 1. Mach. 1. ✝ 59. Io. 21. 25. 2. Tim. 4. 14. Imo congruus usus obtinuit, ut etiam in vernaculis linguis aggregatum ex omnibus divinis libris hoc nomine compelletur.

Insuper Scriptura et vere est, et rite vocatur *Testamentum;* unde s. *Scriptura recte dividitur in Novum, et Vetus Testamentum.* S. Bonav. prol. Brevil. cap. 2. Nec est cur nomen hoc criticis quibusdam displiceat, cum placuerit *Hieronymo* praefat. in Evang. *Augustino* in Psalm. 21. *Paulo* ipsique *Deo* 2. Cor. 3. 14.

Codex omnes divinos libros in ecclesia notos complectens ab Alcuino, Cassiodoro, Beda merito vocatur *Pandecta,* q. d. *omnia capiens.* Impie tamen, et insulse hoc nomine abutuntur haeretici: nam non sic omnia complectitur verbum Dei scriptum, quin praeter illud, aliud non scriptum sit admittendum. Sufficiat nobis admonitio Pauli 2. Thessal. 2. 15. *Fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*

Ad haec os aureum: *hinc perspicuum est, apostolos non omnia tradidisse per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque esse fide digna; quamobrem ecclesiae quoque traditionem fide dignam esse censemus:* TRADITIO EST, NIHIL QUAERAS AMPLIUS. Etenim ut argute Irenaeus lib. 3. contra haer. cap. 4. *quid si neque apostoli Scripturas reliquissent nobis?* Utique non minorem fidem debemus Deo ore loquenti, quam scripto.

§. 2. S. SCRIPTURAE ESSENTIA ET EXISTENTIA

Ut recte ait S. Thomas 1. dist. 27. art. 2 *verbum refertur ad illum a quo est, scilicet ad dicentem.* Scriptura autem est verbum Dei scriptum; oportet ergo ut procedat a Deo dicente scripto, hoc est conceptum suum enuntiante litteris, quas vel ipse scribat, vel alius ipso inspirante. Hinc quantumvis authenticum veritatis testimonium quantumvis eximium probitatis encomium perhibeat Deus de libro aliquo humana mere industria

conscripto, nullatenus ille vera Scriptura sacra evadet. Quod si Deus de libro humano vero, atque utili, diceret: *illum assumo in verbum meum scriptum*, nec vel sic iste vera Scriptura divina fieret, sed tantum adoptata.

Cum vero sufficiat ad verum alicuius verbum per alterum prolatum aut scriptum, quod referatur tota, ut loquimur, substantia, omnis sensus, cuncta veritas, nihilque asseratur, nisi quod principalis ille dixit, scripsit, aut dictavit, quamvis forsitan non eadem praecise constructione, iisdemque materialibus, aut etiam formalibus verbis; sic pariter videtur ad essentiam Scripturae divinae sufficere, quod Deus scriptorem omnem scribendam veritatem doceret, ac scribere mandaret, etiamsi singula verba non inspiraret, sed quoad idioma, verborumve constructionem scriptorem propriae suae, seu humanae relinqueret industriae.

Hoc praeter alia urgentissima, persuadet istud Christi Matth. 26, *Scriptum est: percutiam pastorem etc.*, hoc est: scriptum Dei verbum est, seu Scriptura: *percutiam etc.* cum tamen alia constructione, sive aliis formalibus verbis sit Zachar. 13. 7, *percute pastorem etc.* Sufficit ergo Christo (sufficiat et nobis) ad Scripturam sensum omnem, et veritatem esse a Deo, etsi forte alia, aut humana scribantur constructione.

Videtur equidem ad maiorem verbi divini proprietatem, reverentiam, energiam, fructum, primis scriptoribus *Omnis Scriptura divinitus inspirata* (2. Timoth. 3.) quoad omnia plane verba, quae cuncta *per homines dixit Dei spiritus, talem eloquendi facultatem, et eum texendi modum* (Aug. lib. 12. Confess. cap. 26.) quo scribentes usi sunt tribuens: unde *In Scripturis sanctis et verborum ordo mysterium est.* Hier. epist. 101. *Est stylus Spiritus Sancti, stylus increatus.* Bonav. Princ Script.

Divinas Scripturas omnes, ut mera hominum figmenta derident athei, nec multo meliores Manichaei Vetus Testamentum a malo Deo esse blasphemabant; Novum *non a Christo scriptum, nec ab eius apostolis, sed longo post tempore a quibusdam incerti nominis viris, qui ne sibi non haberetur fides scribentibus quae nescirent, partim apostolorum nomina, partim eorum, qui apostolos secuti viderentur, scriptorum suorum frontibus indiderunt.* Ita Faustus apud S. Aug. lib. 32. c. 2.

Attamen tam haeretici, quam catholici, aliquam sacram Scripturam existere indubitatum habent; at unde constet illam, quam sive catholici, sive haeretici pro tali admittunt, esse verbum Dei, praesertim purum et incorruptum; unde discernantur divini libri a non divinis, sincera lectio a mendosa, hic haerent haeretici, et male torquentur, maxime dum sedulo consideratur tot esse dubia, tot fervere controversias, tot reperiri diversas lectiones, etiam circa originalis linguae textus tam hebraeum Veteris, quam graecum Novi Testamenti.

Heterodoxorum aliqui in Scriptura probanda, confugiunt ad ipsam Scripturam dicentem se verbum Dei esse; sed si hoc argumentum valeret, admittendum foret Alcoranum a Gabriële archangelo Mahumeti fuisse dictatum; cum hoc in illo impio libro dicatur.

Multi cum pseudo-synodo dordracensi hac crisi utuntur: *Quod Spiritus S. in cordibus eorum testetur a Deo profectos esse hos libros.* Hi profecto seducunt cor suum, et nihilo plus probant, quam Manichaei, quos ita stringit Augustinus lib. 32. cap. 16: *An hoc dicitis, vos Paracletum docuisse, Scripturas istas apostolorum non esse? Unde ergo probare poteritis, quod a vobis exigitur, Paracletum esse illum, a quo didicistis haec apostolorum non esse?*

Egregius ille paracletus Calvinum docuit, epistolam Iacobi esse *divinam;* Lutherum, eam esse *stramineam.* Luthero etiam inspiravit scurriliter loqui de libro *Ecclesiaste, et Esther* indignum esse, qui ponatur in canone.

Haeretici, qui in hoc puncto ad traditionem recurrunt, propius accedunt veritati; sed velim attendant, quod ut traditio illa infallibilis sit, ecclesia tradens debeat infallibilis esse, atque adeo nedum in hoc puncto, sed et in reliquis, quae tamquam credenda proponit. Cum Augustino lib. contr. Epist. Fund. catholici dicunt: *Ego Evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas, cuius auctoritate infirmata, iam nec Evangelio crederem.*

Catholicus igitur hic nihil haesitat, nihil trepidat, sed dicit confidenter: evidens est ecclesiam catholicam tenere quod sint, et docere quae sint divinae Scripturae; atqui *ecclesia* catholica *est columna et firmamentum veritatis;* ergo et Scripturae dantur, et illi libri s. Scriptura sunt, quos pro talibus habet ecclesiae traditio, seu doctrina.

Porro infallibilitatem ecclesiae non ex Scriptura probat, sed ex *notis,* quibus ecclesiam catholicam esse divinitus insignitam, luce meridiana clarius patet, adeoque neque notae ex Scriptura probandae sunt, neque vitiosus circulus committendus. Ipsae autem notae, seu signa talia ac tanta, uni solique ecclesiae competentia, totidem sunt omnipotentis Dei quasi bullae appensae, omnibusque conspicua sigilla, seu totidem divina oracula, quibus ipse testatur ecclesiam hanc esse suam, suoque nomine, atque auctoritate loqui; sive Deum ipsum esse, qui per ecclesiam loquitur; atque adeo esse prorsus infallibile, ipsumque Dei verbum, illud, quod ecclesia romana dicit, et docet.

Non est credendum quod nonnulli arbitrantur, hebraeas litteras a lege coepisse, quae data est per Moysen; sed potius per illam successionem patrum Moysen praecedentium *memoratam linguam cum suis litteris custoditam,* inquit Augustinus, et probat lib. 18. Civ. cap. 39. Imo ipsi lib. 15. Civ. cap. 23. indubitatum est, nobis autem admodum verosimile *scripsisse nonnulla divina Henoch illum septimum ab Adam,* quem *in epistola canonica Iudas apostolus dicit prophetasse.*

§ 3. QUI LIBRI SINT S. SCRIPTURA

Libri, quos s. Scripturam esse declaravit ecclesia, dicuntur *canonici*, eo quod in canonem, seu regulam, numerum, catalogum divinorum scriptorum sint annumerati.

Canones, seu catalogos varios, variis temporibus varii fecerunt. Esdras cum suis fecit unum, qui vocatur *Canon Hebraeorum*, continetque libros 22. Alii 24, alii 27 numerant, non quod alios libros adnumerent, sed quod eosdem libros aliter dividant.

Conformiter ad Luc. 24 44. canon hic *dividitur in Legem, Prophetas, Hagiographa; Legis*, seu *Moysi* 5; *Prophetarum* 8; *Hagiographorum* 9. Hieron. in Prol. galeato. Legis tamen nomine quandoque omnes hebraïci canonis libros intelligi testantur Rabbini, docuerunt Christus Joan. 10. 34. et Paulus 1. Cor. 14. 21. *legem* vocantes prophetas et hagiographa.

In hoc Iudaeorum catalogo omittuntur *Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, libri Machabaeorum primus, et secundus*, forte etiam *Baruch;* quos libros pro divinis agnoscere nolunt tam Calvinistae, quam Lutherani; sed cum illi una cum catholicis pro s. Scriptura Veteris Testamenti recipiant ultimos versus 1. Par. 3. quos ex

serie generationum ibidem recensitarum, constat diu post Esdrae tempora esse conscriptos, convincuntur infundate praenominatos libros reiicere eo titulo, quod in canone Esdrae non sint enumerati.

Nec adeo mirum est libros istos dicto canone non fuisse comprehensos; quandoquidem media eorum pars tempore confecti canonis necdum extaret; reliqui vero quamvis forsitan tunc conscripti, publicam tamen lucem eo tempore nondum vidisse videantur. Igitur licet illos libros synagoga iudaica nunquam declarasset divinos; licet etiam aliquale de his apud aliquos catholicos aliquando dubium extitisset, nunc tamen (ut loquamur cum Augustino lib. contr. Epist. Fund.) *his libris necesse est nos credere, si credimus Evangelio; quoniam tam illos, quam Evangelium similiter nobis catholica commendat auctoritas.*

Ipso fatente Luthero lib. de Capt. Babyl. *hoc habet Ecclesia, quod potest discernere verbum Dei a verbis hominum; sicut Augustinus confitetur se Evangelio credidisse, motum auctoritate ecclesiae quae hoc esse Evangelium praedicabat.*

Libri ante nominati in canone Hebraeorum omissi, prout et quidam Novi Testamenti, nempe *caput ultimum Marci; historia de agonia Christi* Luc. 22; *de adultera* Ioan. 8; *epistola ad Hebraeos.* Item *Iacobi, Iudae, secunda Petri, secunda, et tertia Ioannis*, demum *Apocalypsis.* Illi inquam vocantur *deuterocanonici*, hoc est: canonici secundi ordinis; reliqui vero Scripturae libri dicuntur *protocanonici*, hoc est canonici primi ordinis.

Notandum autem in hac divisione *protos et deuteros*, hoc est primi et secundi ordinis, nullam arguere prioritatem posteritatemque dignitatis, sed solius temporis, nempe quod deuterocanonicos esse divinos, non tam

cito indubitate constiterit Ecclesiae, quam constitit de protocanonicis.

Hoc solum minus habent deuterocanonici, quod cum hos Lutherani pene omnes reiiciant, Calvinistae vero repudient omnes, et solos deuterocanonicos Veteris Testamenti, non possint illi haeretici respective per testimonia ex his libris desumpta directe convinci, prout nec Iudaei per ullas Scripturas Novi Testamenti, nec per ullas Veteris, Manichaei.

Catalogum omnium librorum canonicorum, iuxta ordinem, quo in Vulgata continentur, pro facilitanda memoria exhibeo 12. hexametris sequentibus:

Genesis, Exo. Levi. Numerorum, Deuteronomi.
Et Iosuë, Iudic. Ruth, Regum *quattuor, ambo*
Paralip. ac Esdrae *bini*, Tobia, Iudithque,
Esther, Iob, Psalmi, Proverb. atque Ecclesiastes,
Cantica, deinde Sap. Ecclesiasticus, ac Isaïas.
Ieremi. cum Threnis, Baruch, Ezechiël Danielque.
Ose, Ioël, Amos, Abdi. Ionas, Michae. Nahun, Habac.
Sophon. et Aggaeus, Zachari. Malachi. *duo* Machab.
Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes, et Acta.
Roma. *duaeque* Corinth. Gal. Ephes. Philipque, Colosque.
Bis Thessal. Timothque *duae*, Tit. Philem. et Hebraeis.
Iacob. *bina* Petri, *tres* Ioannis, Iudae, et Apoc.

§. 4. DE LIBRIS APOCRYPHIS

Contra canonica scripta distinguuntur *apocrypha dicta, id est abscondita, et secreta, quia in dubium veniunt* (Hugo Vict. de Script. cap. 11.) scilicet an divina sint; nihil enim in praesenti materia censetur apocryphum, nisi illud, de quo an S. Scriptura sit vel dubitatur etiamnum, vel saltem aliquando aliqui catholici dubitarunt, vel Scripturam esse dixerunt.

Hinc non quidquid est apocryphum, est hoc ipso non divinum, neque aliquid obstat, quo minus antea apocrypha postea fiant canonica, cum ea quae prius sunt

dubia, postea fieri possint certa et explorata; etiam in fidei materia, ut patet ad hominem contra Calvinistas de deuterocanonicis Novi Testamenti, et contra Lutheranos ex Apocalypsi Ioannis, quam modo ipsi ut divinam admittunt. Item ex validitate baptismi ab haereticis collati, de qua temporibus Cypriani, tantae fuerunt controversiae.

E contra etiam fieri posset ut liber antea canonicus, successu temporis fieret apocryphus, vel per hoc quod periret notitia canonizationis eius, vel quia tantis permisceretur extraneis additamentis, ut divinum ab humano, in libro isto nequiret discerni.

Inter apocrypha non infimum obtinent locum ab ipso Henoch, vel sub eius nomine *scripta*, *sed non frustra non sunt in canone Scripturarum*; *quia suspectae fidei iudicata sunt*, *nec utrum haec essent, quae ille scripsisset, poterat inveniri.* S. Aug. lib. 15. Civ. cap. 23.

In graecis bibliis est appendix admodum famosa libri Iob, quam ut canonicam recepisse Augustinum colligitur ex lib. 18. Civ. cap. 47. Modo tamen apud catholicos non est extra controversiam; consequenter apocrypha est, etsi forte in se sit divina.

Ut patet 2. Par. 33. 12, 13, Manasse poenitens oravit, eiusque per prophetas conscripta est oratio; an tamen illa sit, quae hoc nomine passim habetur ad calcem bibliorum, non est exploratum.

De praefatiuncula Lamentationibus Ieremiae praefixa, merito dicit S. Bonav. *huic operi* Threnis, *haec littera: et factum est etc., in quibusdam libris anteposita invenitur, quae non est tamen de veritate textus.* Non est pariter extra omne dubium *in Ecclesiasticum Iesu filii Sirach prologus*, qui non ab auctore libri Ecclesiastici est compositus, sed tantum a translatore, quem non con-

stat hagiographum fuisse, scriptoremque capitis 51 Ecclesiastici.

Apocryphi etiam sunt *tertius et quartus Esdrae, tertius et quartus Machabaeorum.* Item *psalmus contra Goliat* a quibusdam allegatus quasi centesimus quinquagesimus primus.

De *titulis,* qui in Vulgata singulis pene psalmis praefiguntur, videtur cum distinctione loquendum: illos enim quos Esdras hagiographus praeposuit, quique in omnium linguarum codicibus inveniuntur, canonici sunt; sed non omnes in latino textu psalmis praefixi sunt tales; illorumque auctoritatem multa debilitant, in tantum ut scribat Lyranus: *de titulis psalmorum prout communiter scribuntur in bibliis, parum est curandum, sed solum prout scribuntur in hebraeo, et in translatione Hieronymi iuxta hebraeum.* Singulariter vacillat titulus psalmi 136.

Sunt etiam apocrypha ad Novum Testamentum quodammodo spectantia, ut *Evangelium quod appellatur secundum Hebraeos, quo Origenes saepe utitur,* inquit Hieronymus de Script. eccl. in Iacobo, qui eo etiam pluries est usus, et tanti fecit, ut ibidem dicat: de hebraeo *a me nuper in graecum latinumque sermonem translatum*, nec aliud esse videtur, quam ipsum Matthaei Evangelium; alteratum tamen et adulteratum.

Legunt quidam et ad Laodicenses (quasi Pauli Epistolam) *sed ab omnibus exploditur,* ait Hier. de Script. eccl. in Paulo. Inter alia declaratur a Gelasio Papa cap. *Sancta Romana* dist. 15, *liber qui appellatur pastoris apocryphus,* qui tamen olim magno in pretio fuit Graecis.

Caetera, quae sub nomine Matthiae, sive Iacobi Minoris, vel sub nomine Petri, et Ioannis scripta sunt, vel

sub nomine Andreae, vel sub nomine Thomae, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. Innoc. 1. Epist. ad Exup.

§. 5. DE VERBIS HOMINUM IN SCRIPTURA RELATIS

In Scriptura *non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur, considerandum est, ne passim, quae in sancto libro quolibet scripta sunt, recipientes, cogamur fateri, quod absit, vera et iusta fuisse, quae* Iob. 2, *marito sancto mulier insipiens suggerebat, ut aliquid adversus Deum loquens, ab illa intolerabili poena moriendo liberaretur.* S. August. contr. Priscill. cap. 9.

Itaque permagni momenti quaestio est, quaenam praecise hominum, aut etiam angelorum dicta in Scriptura relata, sint verbum Dei; siquidem non omnia esse, certum est. Nemo enim sanae mentis dixerit inspirante Deo dixisse insipientem psal. 13. 1, *non est Deus.* Pharisaeos Luc. 11. 15, *in Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.*

Interim a ratione verbi Dei nec omnia impiorum dicta in Scripturis relata, possumus excludere, nec omnia piorum, etiam prophetarum, includere, siquidem et per impios locutus est Deus, utpote per Caipham Ioan. 11. 50. Per Balaam Num. 23. et 24.

E contra sanctus erat, imo propheta Elias, et tamen ignoranter falsum dicebat 3. Reg. 19. 14, *relictus sum ego solus*, ut constat ex Rom. 11. 3. 4. Consequenter hoc ipsius dictum, verbum Dei esse non poterat. Idem dicendum de verbis prophetae Nathan ad Davidem 2. Reg. 7. 3. *Omne quod est in corde tuo, vade, fac quia Dominus tecum est.*

Amicorum Iob dicta, non quidem omnia verbum Dei sunt, cum Deus ipse de his dicat Iob 42. 7. *Non*

estis locuti coram me rectum. Aliqua tamen eorum dicta sunt verbum Dei: illa enim relata Iob 5. 13, *qui apprehendit sapientes in astutia eorum,* Eliphaz protulisse inspirante Spiritu S. clare patet, tum ex eo, quod Paulus ea adferat, sub termino *scriptum est,* tum etiam quod illis tamquam irrefragabili argumento, probet 1. Cor. 3. 19, *sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum Dominus novit etc.* ex Ps. 93. 11. Evidens autem est ibi Paulum citare verba Eliphaz, si in Paulo attendamus textum graecum: ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν. Et in libro Iob hebraicum לכד חכמים בערמם *Loched hhachamim boôrmam.* Quae utraque verbotenus significant: *comprehendens sapientes in astutia eorum.* Iob. 5. 13.

Porro in hac multum intricata, parumque hactenus examinata quaestione, censeo, illa hominum dicta esse verbum Dei, quae uno quidem loco Scriptura simpliciter refert hunc vel illum protulisse, alibi tamen in Scriptura citantur sub termino *scriptum est,* aut aequivalenti, vel a Christo, aut ab hagiographis etc. Adferuntur tamquam verba Dei, aut Spiritu S. inspirante prolata.

Sic referuntur, ut vidimus 1. Cor. 3. 19, verba Eliphaz Iob 5. 13. Item 3. Reg. 16. 34. Verba Iosue Ios. 6. 26. Item Gal. 4. 30. Verba Sarae Gen. 21. 10. Item Matth. 4. 4. Verba Moysis Deuter. 8. 3. Item Luc. 1. 67. canticum Zachariae *Benedictus etc.* Verba Caiphae Ioan. 11. 50, et similia.

Quoad alia, in quibus hoc indicium deest, verosimilius Deo inspirante dicta videntur, aut saltem a Deo adoptata, vel approbata illa, quae in Scriptura homines pii inculcare, docere, aut in laudem Dei cantare

referuntur; modo ea mendacium non contineant, aut errorem, nec ea ius naturae reprobet, vel Scriptura.

Talia sunt canticum Deiparae *Magnificat;* Simeonis *Nunc dimittis*, illa quae in actibus apostolorum praedicando dicunt apostoli, et plurima similia.

Suadet hoc, tum quod Scriptura adferens similia dicta, ordinarie ostendat, talia inspirante Deo dicta esse, ut vidimus circa verba Moysis, Sarae, Eliphaz, Iosue; ac propterea idem circa similia sit praesumendum. Tum quod passim talia piorum verba, tamquam divina adferant patres, v. g. Cyprianus, Clemens Rom. Calistus I. verba Tobiae 4. Hieronymus verba Eliphaz Iob. 4. 17. Anselmus eiusdem Iob. 5. 6. Cyprianus verba Mathathiae 1. Mach. 2. 62. Bernardus verba Samuelis I. Reg 15. 23.

Omnia autem dicta, quae in sacris litteris referuntur, possunt dupliciter considerari; primo mere secundum se, et prout sunt integra enuntiatio illius, qui haec retulisse refertur. Hac consideratione s. Scriptura non sunt, nec magis poteris probare talem esse hanc verissimam Christi sententiam: *Ego et Pater unum sumus;* quam istam falsissimam insipientis blasphemiam: *Non est Deus.*

Si vero secundo modo consideres similia, nimirum prout non solitarie spectantur, sed quatenus sunt extremum enuntiationis integrae, cum hoc verbo, *dixit,* vel simili; sic omnia et singula verba hominum, aut quorumcumque in Scripturis relata, tam falsa, quam vera, tam mala, quam bona, pars sunt infallibilis Scripturae, et verum Dei verbum.

Sic nemo ambigit, quin illud totum complexe sumptum sit verissimum, ac sanctissimum Dei verbum: *dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Unde S. Au-

gust. contr. Priscil. cap. 9. *In Evangelio, quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia quae dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa, et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur.*

§. 6. DE SCRIPTORIBUS DIVINORUM LIBRORUM

Auctor principalis s. Scripturae est Spiritus S. S. Thomas Quodl. 7. art. 14. *Ipse enim scripsit qui per prophetas suos scribenda dictavit.* Rhabanus lib. 2. Inst. Cler. cap. 54.

Deus tamen nihil ipse scripsisse videtur, nequidem primas legis tabulas, quamvis dicantur Exod. 31. 18. et Deut. 9. ỷ. 10. *scriptae digito Dei.* Nam propter officium et personam, quam repraesentabat, vocatur ibidem *Deus* ille, qui in natura *angelus* erat; hic Moysi dixit Exod. 24. 12. *dabo tibi duas tabulas, et legem, ac mandata quae scripsi.* Igitur qui dedit scripsit, qui vero dedit fuit angelus, ergo qui scripsit fuit angelus.

Ioan. 8. 6. *Iesus scribebat in terra*, sed incertum est an permanentes vel ad momentum characteres.

Ad annum Christi 31. Baronius notabilia producit pro epistola tamquam Christi Abagaro Edessae regi scripta.

Homines illi, quibus verbum suum litteris consignandum inspiravit Deus, dicuntur graeco nomine Ἁγιογράφοι, hoc est *sancti scriptores*, qui tamen nec ipsi omnia per se ipsos scripserunt, sed quandoque amanuensibus usi sunt, ut constat ex Ierem. 36. et 45. de Ieremia, cuius scriba fuit *Baruch*; Pauli vero, quoad epistolam ad Romanos, *Tertius*. Rom. 16. 22. Metaphrastes, aliique tradunt Evangelium Ioannis, ipso dictante, scripsisse *Prochorum* unum de septem primis diaconis. Athanasius tamen, vel quisquis est auctor

Synopsis, amanuensem Ioannis dicit fuisse *Caium*, ad quem est tertia Ioannis epistola.

Veteris Testamenti hi scriptores habentur: primum Moyses scripsit Pentateuchum (Rhabanus supra) excepto capite ultimo, cuius, et *Libri Iosue, idem Iosue, cuius nomine inscribitur, auctor fuisse creditur*. Hugo Vict. lib. de Script. cap. 7. Quaedam tamen et in isto libro a posterioribus hagiographis sunt adiecta; quod etiam de sequentibus libris dicendum est.

Libros *Iudicum*, *Ruth*, item *primi Regum* priora capita 24 communis opinio tribuit Samueli, incertos auctores habent posteriora libri primi capita, totusque secundus Regum.

Compilationem tertii ac quarti Regum, et utriusque libri Paralipomenon, aliqui Esdrae adscribunt, sed plures merito Ieremiae; cum Paralipomena manifeste clament se ante destructum templum fuisse conscripta, tum ex citatione tot librorum, destructa Ierosolyma, deperditorum, tum propter 2. Par. 5. 9: *fuit arca ibi*, in templo salomonico, *usque in praesentem diem*. Haec igitur scripta, stantibus adhuc templo et urbe. In fine tamen quarti Regum versus quatuor, et duo versiculi ultimi 2. Paralipomenon, Ieremia mortuo, additi videntur ab Esdra.

Esdrae primum ipse *Esdras* scripsit, secundum *Nehemias*, ut patet ex 1. Esdr. 7. 12 et 2. Esdr. 1. 1. etc.

Librum *Tobiae*, Tobias pater et filius communicato studio composuerunt, quod iuxta graecum textum ipsis Raphael angelus mandaverat cap. 12. 20. Γράψατε πάντα εἰς βιβλίον. *Scribite omnia in libro*, prout etiam hebraea, et syra.

Libri *Iudith* incertus est auctor; pro *Eliachim* pontifice est plurium coniectura.

Estheris historia bis scripta videtur, semel compendiosius a Mardochaeo Esth. 9. 20. Hoc primum scriptum transtulit Hieronymus. Postea diffusius simul a Mardochaeo et Esthere. Esth. 9. 29. Hoc secundum vertit in graecum Lysimachus Esth. 11. 1. Inde additamenta illa in Vulgata.

Saepe quaeri solet quis libri Iob scriptor habeatur; et alii quidem Moysen, alii unum ex prophetis scriptorem huius operis suspicantur; arbitrari tamen verius possumus, quod idem b. Iob, qui certamina spiritualis pugnae sustinuit, etiam consummatae suae victoriae gesta narravit. S. Gregor. Praefat. in Iob.

David egregius psaltes Israël (2. Reg. 23. 1.) indubie multos ex 150 psalmis composuit, sed an omnes? De hoc inter se disputant patres et interpretes. Hieronymus verosimilius putat aliquos ab aliis confectos esse, signanter ab Asaph, cum tam diserte dicatur 2. Par. 29. 30: *praecepit Ezechias levitis ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph videntis*, seu prophetae. Imo teste Hieronymo tum in commentario super Matthaeum, tum in psalmum 77. *Dicitur in Matthaeo* cap. 13. *Haec facta sunt, ut impleretur quod dictum est in Asaph propheta: aperiam in parabolis etc. Sic invenitur in omnibus veteribus codicibus, sed homines ignorantes tulerunt illud: asaph*, cui per titulum inscribitur ille psalmus 77. in quo reperiuntur etiam illa: *aperiam in parabolis etc.*

Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum indubitatum auctorem habent Salomonem, nec alteri *Agur* tribuendum est c. 30. Proverb: nec distincto *Samueli* cap. 31.

Salomon alio nomine vocatus est 2. Reg. 12. 25, ידידיה *Jedidja, amabilis Domino*, seu Φιλόθεος. Haec forte fuit occasio, quod liber Sapientiae, quem plusquam

50. patres Salomoni tribuunt, aliqui *Philonis* vel Biblii, vel Alexandrini, vel alterius ignoti esse putarint. Quae Sap. 9. ℣. 7 et 8. auctor libri de se ipso loquitur, soli conveniunt Salomoni.

Ecclesiasticum *scripsit Iesus filius Sirach*. Eccl. 50. 31.

Prophetae tum maiores, tum minores suarum prophetiarum certi sunt auctores, nisi quod caput sextum, quod pene tertia pars est libri Baruch, sit epistola Ieremiae, et capitis 38. Isaiae plusquam dimidium dicitur ibidem ℣. 9. *Scriptura Ezechiae regis*.

Coniectura plurimorum est Ioannem Hircanum Machabaeorum librum primum scripsisse; secundum vero ex Iasonis Cyrenaei quinque libris divino Spiritu compilasse Iudam Essenum.

Evangelia Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes composuerunt. *Actus Apostolorum* Lucas. Paulus epistolas 13. Item illam ad Hebraeos, quae sola scriptoris nomine caret. *Iacobus* Alphaei Ierosolymorum episcopus, *Petrus*, *Ioannes* Evangelista, et *Iudas* Thaddaeus *septem epistolas ediderunt*. S Hieronymus epist. ad Paulin. *Apocalypsis* Ioannem apostolum habet auctorem.

Dispari stylo scripserunt hagiographi; eloquentiori siquidem Isaïas aulicus, quam rusticus Amos.

Fuerunt in scribendo liberi, saltem quoad exercitium; ita tamen Deus os eorum calamumque regebat, ut in eloquendis prophetiis, atque exarandis Scripturis nihil dixerint, nihil scripserint, quin ex intentione Dei verum sensum haberet, quamvis possibile fuerit, ut ipsos sensus iste lateret, imo falsum aut impium, dum scribebant aut loquebantur, cogitarent. Ita factum esse Caiphae prophetanti constat ex Ioan. 11. 50.

Hic utique quam maxime verificatur illud Christi Matth. 10. ℣. 20. *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus*

Patris vestri, qui loquitur in vobis, seu per vos.

Proinde (quamvis id nullatenus factum putemus) possibile fuit, ut, dum Cantica Canticorum Deus Salomoni inspirabat, ipseque illa exarabat, Salomon fuisset totus libidinosus, nec alia quam carnalia cogitasset; quem librum tamen (cum fide divina sciamus esse verbum Dei) sanctissimum, atque castissimum sensum, etiam litteralem habere, minime dubitamus. Igitur non Scripturam, ut Scripturam, seu verbum Dei, exposuit Grotius, sed impie temeravit, dum Cantica Canticorum ita explicavit, quasi forent impudentissimum ac impudicissimum a Salomone compositum drama; ut enim omittam illa, quae aures castae non admittunt, binum exhibeo specimen.

Illud Cant. 1. 7. *pasce haedos tuos*, exponit: *exple appetitum tuum*, nempe libidinem. Istud Cant. 2. 15. *capite nobis vulpes parvulas*, interpretatur *pulicellos*, seu parvos pulices.

§. 7. DE TEXTU HEBRAICO

Ea quae antea fuit omnium lingua, quia in familia Heber remansit, divisis per alias linguas caeteris gentibus, deinceps hebraea est appellata. Aug. lib. 16. Civ. cap. 11. *Qua Patriarchae et Prophetae usi sunt non solum in sermonibus suis, sed etiam in libris sacris.* Rhaban. lib. de Univ. cap. 1.

Excepto quippe libro secundo Machabaeorum, per modum epistolae ad Iudaeos in Aegypto graecam tantum linguam callentes graece scripto, libri Veteris Testamenti primitus ab hagiographis vel scripti, vel dictati sunt hebraeo sermone puro: praeter *librum Tobiae, Iudith, Danielem, et Esdram* I. *et unam Ieremiae Pericopen* (scilicet, ut notavit S. Bonav. hanc Ierem. 10. 11.

Dii qui coelum et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quae sub coelo sunt) *hebraicis quidem litteris, sed chaldaeo sermone conscriptos.* Ita s. Hieronymus, qui chaldaeum vocat, hebraeum idioma post captivitatem babylonicam alteratum; quo etiam scripti videntur Ecclesiasticus, et Machabaeorum I. *Iob quoque* (Hieronymo teste) *plurimam habet societatem cum arabica lingua*, quae pariter est hebraea alterata.

Prisci vero Hebraei non sunt usi characteribus hebraicis modernis, sed illis, quos modo samaritanos vocamus, *certumque est* Hieronymo in Prol. gal. *Esdram scribam legisque doctorem post captam Ierosolymam, et instaurationem templi sub Zorobabel alias litteras reperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum, et Hebraeorum characteres fuerint.* Hoc etiam probant reperti sicli, Salomonis tempore cusi.

Negant tamen id Baronius, et recentiores aliqui, atque obiiciunt, quae causa potuerit esse mutationis? Sed argumentum solvit Samaritana Ioan. 4. 9. *Non coutuntur Iudaei Samaritanis;* cum quibus proinde ne characteres quidem Esdras voluit habere communes.

Si originalia ipsa hagiographorum scripta superessent, fidem indubitatam indubie haberent in omnibus, et ad illa tamquam ad indeclinabilem veritatis regulam omnia transsumpta forent exigenda, et sicubi discrepent, corrigenda.

Itaque non est controversia, quin purissima fuerint prophetarum, et apostolorum *ipsa scripta*, seu *autographa;* sed quaestio est de hebraicis, graecisque *apographis*, seu *transsumptis*, qualia sunt, et copiae copiarum tantummodo, quotquot habemus tam graecos Novi, quam Veteris Testamenti codices hebraeos.

Hos hactenus malitiose corruptos non fuisse pauci

tenent, contrarium passim sustinentibus aliis; nec desunt corruptionis indicia manifesta; imo ipse Hieronymus scribens in cap. 3. Gal. Iudaeos malitiosae corruptionis plusquam unius reos agit.

Illi saltem, qui annos mundi iuxta LXX Interpretes graecos censent computandos, fateri debent hebraeum textum ante Hieronymi tempora pluribus in locis a Iudaeis de industria fuisse corruptum; nempe in tam multis generationibus recensitis Gen. V. et XI. in quibus pene singulis iuxta illos Iudaei 100 annos detraxerunt, ut sextum mundi millenarium in natali Domini Iesu advenisse, inficiarentur.

Ex ipsis Iudaeorum libris ostendit Morinus lib. 1. Exerc. 1. cap. 6. Iudaeos usque ad annum Christi millesimum habuisse senatum quemdam cuius decreto in mutandis ac describendis bibliis, gens iudaea universa per orbem diffusa, velut religionis voto adstricta, obtemperabat lubenter, et cui in omnibus non parere, scelus erat apud ipsos maximum.

Insuper in ipso Talmud docent: *bonum est, ut evellas litteram unam de lege, ut sanctificetur nomen coeli*, seu Dei, *in publico*. Scribit quoque Rabbi Samuel ad R. Isaac: *utinam quando interfecimus Isaiam, delevissemus auctoritatem istam: quis est iste, qui venit de Edom etc.*

His rite perpensis malitiosa corruptio textus hebraei non tam incredibilis est, quam videatur aliquibus, praesertim cum vix ulli, si tamen omnino ulli hebraei codices sexcentis annis vetustiores reperiantur.

Depravationes casu obortae, penetrarunt passim omnes hebraeos tum scriptos, tum impressos libros; cur non potuissent et illae, quae de industria et malitiose factae videntur?

Saltem diversis exemplis ex ipso s. Hieronymo est

manifestum, in codicibus hebraicis, quibus ipse usus est, aliter scriptum fuisse, quam in modernis passim reperiatur.

Nullum est dubium, quin si non malitia, saltem casu corruptus sit hebraeus textus Psal. 21. 17, quia in eo nunc legitur כארי *caari*, *tamquam Leo*, cum antea fuerit: כארו *caaru*, *foderunt*, ut patet ex Hieronymo, Aquila, LXX, itemque ex textibus arabico, syriaco, aethiopico, ipsisque Masorethis in Masora textuali Num. 24. 9.

Putant quidam rabbinos sincere notare, ac monere ad marginem istius loci, pro כארי *caari; sicut leo*, legendum esse כארו *caaru, foderunt*; sed errant quam maxime, nam in textu semper, et ubique subiiciunt puncta vocis *caari*, si vero hoc notarent, subiicerent voci *caari* in textu puncta vocis *caaru*, ut norunt periti.

Quinimo tum in Masora Num. 24. 9. tum ad marginem, psal. 21. 17, suadent, in paucissimis manuscriptis in quibus vitium illud nondum irrepsit, non esse legendum *caaru*, *foderunt*, sed *caari*, *sicut leo*.

Neque unum tantummodo est, aut alterum hebraici textus vitium. Enumeravit Morinus 1373 loca corrupta omnia pene ab ipsismet rabbinis animadversa, et ad librorum marginem, ne lectores non satis reflectentes lateant, adnotata.

Quantum vero hae corruptelae, etiam non malo animo, sed casualiter tantum factae, sanae fidei possint nocere, vel hinc patet, quod saepe res summi momenti in religionis causa, ab una pendeant littera, ita ut ea sola, vel addita, vel sublata, vel mutata, mysteria maxima, et religionis fundamenta stent, cadant, aut labascant.

Exemplum statim vidimus; dum enim irrepsit Ps. 21, *pro Vau* ו *littera* י *Iod, quae sola differt magnitudine*

(Hieron. in Ose. 4. 15.) tam modici apicis erasione, atque adeo litterulae unius in simillimam mutatione, tam praeclara de crucifixo Domino perit prophetia, dum ita ex כארו *caaru*, *foderunt manus meas, et pedes meos*, factum est כארי *caari*, *sicut leo*, *etc.*

Ut contendit Ambrosius lib. 2. de Spiritu S. cap. 6. excidit e Vulgata Philip. 3. 3. unum *i*, ita ut modo sit, *spiritu*, pro: *Spiritui servimus Deo*, ac perdita una hac litterula, periit quoque magnum pro Spiritus Sancti divinitate testimonium.

Unicum pariter *i* inter arianum distinguit, et catholicum, dum hic omisso rite *i*, Patri Filium dicit esse *consubstantialem* ὁμοούσιον, ὁμοιούσιον, *similis substantiae* solum Arianus agnoscit.

Imo accentum tantùmmodo transponat Nestorius, ut, quam non negabat *ex Deo natam* Θεότοκον, Θεοτόκον *deiparam* sincere credat, et fiet catholicus.

Illa porro vitia 1373 hebraici textus ex sola permutatione litterarum oriuntur; quis enumerare sufficiet, quam multiplices irrepserint corruptelae ex malis substitutis punctis vocalibus? Circa illa siquidem decuplo maior est et lapsus, et fraudis occasio.

Etenim nullas vocales litteras habent Hebraei, scriptusque fuit tum sine illis, tum sine ullis vocalium notis hebraicus textus ab ipsis hagiographis, et multis deinde saeculis transcriptus, donec tandem post Hieronymi tempora perfidi Iudaei signa vocalium sonorum adinvenerunt, et sacro textui secundum fidem suam pravam, et parvam scientiam addiderunt.

Quanta vero corruptio ex hoc quoad rectam hebraeorum verborum pronuntiationem, atque adeo significationem potuerit oriri, vel hinc coniice, quod saepe maxima sensuum diversitas oriatur, si aliis aliisque voca-

libus easdem proferas consonantes *res*, *ros*, *rus*, *decet*, *dicit*, *docet*, *ducit*. Ex solis invariatis litteris *c. r. s.* variis adiectis vocalibus, fiunt: *Cyrus*, *Ceres*, *carus*, *corus*, *curas*, *cares*, *cras*, *cres*, *crus*, et alia plusquam centum significata alia.

De hoc Hieronymus in Ierem. 9. 22, *verbum hebraicum, quod tribus litteris scribitur* דבר (*vocales enim in medio non habet*), *pro consequentia, et legentis arbitrio, si legatur* Dabar, *sermonem significat; si* Deber, *mortem: si* Dabber, *loquere*. Adde: Si *Dibber*, *locutus est*; si *Debir*, *oraculum:* si *Dober*, *loquens*, si *Dabur*, *dictus*, si *Debor*, *loqui*. דְבֹר, דְבֵר, דְבִר, דִבֵּר, דַבֵּר, דֶבֶר, דָבָר

Gravissima hinc oriri posse in hebraeis bibliis vitia atque dispendia, exemplo videamus uno. Eludunt Iudaei testimonium pro divinitate Messiae, ex hoc quod modo sit יִקְרָא Isaiae 9. 6. quod ita punctuatum sonat *Ikra*, significat autem *vocabit*, proptereaque legendum praetendunt: *vocabit nomen eius admirabilis Deus... principem pacis*; cum legi debeat: *Ikkare*, si easdem litteras sic punctues יִקָּרֵא quod sine controversia est: *Vocabitur*, ut habet Vulgata, et legerunt LXX. Hieron. Aquila, Symmachus.

§. 8. TEXTUS GRAECUS

Sicut, unico libro excepto, totum Vetus Testamentum conscriptum est hebraea lingua vel pura, vel mixta, ita totum Novum est ab hagiographis exaratum graece, unico pariter excepto. Nam teste Hier. praef. in Evang. *Matthaeus Evangelium Christi hebraicis litteris, verbisque composuit; quod quis postea in graecum transtulerit, non satis certum est.*

Iacobum apostolum hoc praestitisse scribit Athanasius; alii Ioannem evangelistam; alii Matthaeum ipsum;

sed cuiuscumque sit, ita recepta est ab ecclesia ista translatio, ac si primum graeca lingua scriptum fuisset Evangelium illud, ait Bellarminus.

Hebraeum exemplar, quod nuper obtrusit Munsterus, de falsitate suspectum est, et in se spurium olet, teste a Lapide, de cuius praeterea parum fida translatione variae extant doctorum querelae, ait Gretserus.

Pauci Marcum latine scripsisse autumant, et Paulum Romanis romane, atque Hebraeis hebraice.

De graeco Novi Testamenti textu eadem dicenda, quae de hebraeo Veteris dicta. Exhibeatur ipsissimum Evangelium, quod manu sua conscripsit Lucas, certi admittemus eiusmodi codicem omnium versionum, etiam Vulgatae, normam fore, et κριτήριον. De caeteris libris concedemus idem.

Verum quae supersunt hodie, non originalia sunt, sed de transsumptis transsumpta, amanuensium si non malitia, saltem incuria vel errore multipliciter vitiata.

Hoc de suo tempore variis locis indicat ipse Hieronymus, qui epist. 102. *bipedes asellos* vocat legentes Rom. 12. 11. καιρῷ. *tempori*, pro κυρίῳ. *Domino servientes*; cum etiamnum passim sit καιρῷ in graeco, in quo vitia irrepsisse fatentur vel ipsi Lutherus, Beza, Calvinus, idque merito: nam, ut recte Pallavicinus lib. 6. Hist. Trid. cap. 17., *graeca exemplaria quae nostra aetate supersunt, revincuntur in multis locis mendorum non levium.*

Scripsit de hac re Ambrosius, vel alius ipsi contemporaneus in Rom. 5. *multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in litteris, quod homini videretur; unde et ipsi Graeci diversos codices habent.* Item Glossa in cap. *Ut veterum.* Dist. 9. *procedente tempore Graeci sua exemplaria corruperunt, et sic factum est, quod*

magis corrupta sint, quam Latinorum. Fatetur ipse Beza, quod *in graecis codicibus maxima sit varietas.*

In quodam Novo Testamento graeco, anno 1632 Genevae impresso, reperi circiter 1800 loca, quae ipsi haeretici ibidem expresse notant varie in variis graecis codicibus legi. Robertus Stephanus invenit talia loca 2664. Beza insuper nonnulla a Stephano praetermissa adnotavit, et longe plura occasione data aggregavit, ait Morinus, qui etiam notat impressa graeca admodum discrepare a manuscriptis graecis, additque lib. 1. Exerc. 2. cap. 3. *Si illi iidem, qui tam inaniter Vulgatae detrahunt, antiquos Graecorum codices consuluissent, et sibi invicem comparassent, Cadmaeam eorum inter se pugnam deplorassent.*

§. 9. UTILITAS TEXTUS HEBRAEI ET GRAECI

Latius ista de hebraei graecique textus corruptelis deduxi, ut clarum fiat, in Vulgata nostra non omne illud esse corrigendum atque mutandum, quod in illa ab hebraeo aut graeco textu invenitur dissentire.

Sunt tamen de cetero tam hebraeus textus Veteris, quam graecus Novi Testamenti magnae auctoritatis, et maximae utilitatis. *Num forte inficiamur in editione Vulgata multa esse ambigua, obscura multa, quibus lux affundatur a bibliis primorum idiomatum? Nonne illorum ope catholici interpretes passim utuntur?* Pallavic. lib. 6. cap. 17.

Utiles ergo sunt, primo ut ex his convincantur Iudaei et haeretici, dum a Vulgata ad illos appellant. Secundo ut Vulgatae probetur sinceritas, dum fontibus ostenditur esse conformis.

Uno id alterove probemus exemplo. Job 5. 1. *voca ergo, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.* Kemnitius dicit hic depravatam Vulgatam,

ut comprobetur invocatio sanctorum; sed sinceritatem Vulgatae propugnat, nec minus catholico dogmati patrocinatur hebraeus textus, in quo ad verbum est: *voca nunc, si est respondens tibi, et ad aliquem de sanctis converte vultum tuum.*

Idem Kemnitius sugillat Vulgatam, eo quod habeat de Matrimonio Ephes. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est.* Verum cum in graeco sit μυςήριον, nota fit cavillantis malignitas, et mala fides circa matrimonii sacramentum.

Tertio valet, ut multiplex litteralis sensus, saepe sub una originalis textus voce latitans, eruatur. Exempla varia habentur in cap. 2. §. 6. et 16. Binum hic demus. Vulgata Gen. 47. 31 *adoravit conversus ad lectuli caput.* LXX *adoravit super summitatem virgae.* Ambo bene, nam sub eadem hebraea voce מטה latet sensus uterque. Ioan. 1. 9. Graecum ἐρχόμενον duplicem patitur sensum, et tam ad *venientem* hominem, quam ad lumen *veniens* potest referri.

Quarto ut melius percipiantur verborum sensus, phrases, energiae, quae in originali lingua ordinarie magis propriae sunt, et vivaciores. Gen. 2. 24. *adhaerebit uxori suae.* Hebraeum דבק *Dabak* indicat arctissimam coniunctionem, q. d. *conglutinabitur*, ut vertunt LXX, et transtulit Hieronymus Gen. 34. 3. Idem occurrit psal. 118. ℣. 25. et 31.

Quale sit *imperfectum meum* ps. 138. 16. declarat hebraeum גלמי *golmi, embryon meum*, hoc est: me adhuc imperfectum foetum.

Illud Ephes. 1. 4. *ante mundi constitutionem*, in graeco multo significantius esse, ibidem notavit Hieronymus, qui etiam Epist. 103. ad illa Ioan. 1. *in principio erat Verbum* λόγος, notavit: Λόγος *graece multa significat: nam et*

verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscuiusque rei, per quam sunt singula quae subsistunt, quae universa recte intelligimus in Christo.

Quinto ut mysteria in originali textu latentia eruantur. v. g. Malach. 1. 11. *in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Hebraeum מנחה *Mincha* non quamvis oblationem significat, sed sacrificium speciale, nimirum cuius materia est frumentum, simila, triticum, vel panis. Evidens proinde hic est praedictio sacrificii eucharistici, cuius materia est panis triticeus.

Scribit Hieron. in Gal. 3. *Hebraeus, qui me in Scripturis aliqua ex parte instituit, dicebat mihi*, et vere dicebat, *quod possit et ita legi: quia contumeliose Deus suspensus est*, illud Deuter. 21. 23. כי קללת אלהים תלוי *Ci killat Elohim talui*, quod Vulgata vertit: *quia maledictus a Deo, qui pendet in ligno.*

Illa de Christo Isa. 53. 4. מכה אלהים ומענה *Mucce Elohim umunne*, verti possunt: *percussum Deum et humiliatum*, et non tantum, ut Vulgata: *percussum a Deo, et humiliatum.*

Sexto ut sciatur, quo sensu sumenda, quae in latino sunt ambigua. Utilitas haec insignis est, et millena Vulgatae loca dilucidat, in quibus ex non inspecto originali textu quandoque doctissimi hallucinantur.

Gen. 2. 5, *ut operaretur, et custodiret illum* ambiguum est, an ut homo paradisum, an ut Deus hominem in paradiso, de quo Aug. lib. 8. de Gen. ad litt. c. 10. *Est alius in his verbis sensus, quem puto non immerito praeponendum: ut ipsum hominem operaretur Deus et custodiret.* Sed hunc excludunt, solumque priorem admittunt hebraea לעבדה ולשמרה *Leobdah, ulschomrah. Ad operandam eam, et ad custodiendam eam* regionem paradisi.

Rhabanus istud 1. Reg. 13. 1, *filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset, et duobus annis regnavit*, exponit per dativum *Sauli*. q. d. Cum regnum adiret Saul, habebat filium unius anni nomine Isboseth, qui duobus annis post ipsum regnavit. Sed ex Hebraeo constat *Saul* esse casus nominativi, et ipsummet unius anni filium dici.

Vulgata habet 4. Reg. 19. 21. et Isa. 37. 22 *sprevit te, et subsannavit te virgo filia Sion, post etc.* Haec Lyranus, a Lapide, aliique dicta putant ad Sion, seu Ierusalem, q. d. *O Sion te sprevit Sennacherib etc.* Sed esse sermonem Domini ad Sennacherib, et hunc sensum q. d. te o Sennacherib, inglorie fugientem filia Sion brevi spernet, subsannabit etc. Evidens est ex hebraeo, in quo *te*, et *tuum* sunt generis masculini, econtra feminini, *sprevit*, *subsannavit*, *movit*. Aliud exemplum valde notabile ex Ezech. 21. 28. vide infra §. 15. fol. 49.

Illud Marc. 16. 14. *Iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*, S. Bernardus Serm. 1. de Ascens. docet: *De angelis accipiendum*, et quidem solis, utpote qui soli eum *viderunt resurgentem*. Sed ex graeco manifestum est designari Magdalenam, mulieres, aliosque, qui Christum viderant resuscitatum, seu *surrectum*. Hac voce utor, ut exprimam vim Graeci ἐγηγερμένον, secutus consilium Augustini, qui pariter *mallet cum barbarismo dici psalm.* 138. *non est absconditum a te ossum meum, quam ut ideo esset minus apertum, quia magis latinum: os meum.*

Innumera talia loca sunt, in quibus verba Vulgatae latinae sunt ambigua, seu aequivoca, atque adeo necessarium est originalis linguae codices inspicere, si legitimum atque genuinum Scripturae sensum scire, ac de eo

certi esse velimus. Ex quo patet hebraei graecique textus non solum maxima utilitas, sed et manifesta necessitas, ac proinde merito scripsisse Augustinum lib. 2. Doct. Christ. cap. 11. *Linguae latinae homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, hebraea scilicet, et graeca.*

Septimo denique utilissimi sunt originalis linguae textus, ut si quae in latinis mendae irrepserint, deprehendi possint, et corrigi. Sic nuper e fontibus merito restitutum est Exod. 22. 6. *spinas* pro *spicas*. Levit. 19. 20. *nubilis* pro *nobilis*. Deuter. 29. 23. *salis ardore comburens*, pro *solis etc.* 1. Esdr. 9. 8. *paxillus* pro *pax illius* Psalm. 41. 2. *fortem* pro *fontem*. Sap. 12. 15. *ipsum qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas a tua virtute.* Cum antea passim legeretur; *ipsum qui non debet puniri, condemnas, et exterum aestimas a tua virtute.* Eccli. 45. 6, *dedit ei coram* (pro *cor ad*) *praecepta.*

Similia per correctores romanos ex originalibus textibus emendata, sunt innumera, quorum ingentem catalogum confecit Lucas Brugensis, sed plurima praetermisit.

Possunt etiam modo, non quidem a privatis, sed ecclesiae auctoritate ex hebraeis graecisque codicibus in Vulgata non pauca vel corrigi vel mutari.

§. 10. TRANSLATIO LXXII. INTERPRETUM

Ptolomaeus, qui Philadelphus cognominatus est, et secundus post Alexandrum magnum regnum Aegypti obtinuit, per septuaginta interpretes, quos ab Eleazaro pontifice acceperat, bibliothecam Veteris Testamenti in graecam linguam ex hebraea interpretari fecit. Ita cum patribus omnibus Hugo de S. Vict. libr. de Script. cap. 9.

Iidem patres unanimiter asserunt cum Hieron. Epist.

101. quod omnium translationum haec *editio prima est, et ante Christi facta adventum* annis circiter 300 in *Pharo* Aegypti insula prope Alexandriam, ubi illam 72 diebus elaborarunt *septuaginta duo, de singulis duodecim tribubus Israël seni, homines, linguae utriusque doctissimi, hebraeae scilicet atque graecae, quorum interpretatio, ut Septuaginta vocetur, iam obtinuit consuetudo.* August. lib. 18. Civ. cap. 42.

Historiam *Aristaeas vir doctus, utpote qui rebus aderat, diligenter conscripsit.* Euseb. lib. 8. Praep. Evang. cap. 1. Liber eius etiamnum extat, quem non nisi meris, atque infundatis coniecturis, aliqui recentiores vocant in dubium.

Perfecerunt hanc translationem illi LXXII viri non per distinctas cellulas a se invicem separati, sed *in una basilica conferentes*, ut scribit Hieronymus praefat. in Pentateuchum, traditque oculatus testis Aristaeas.

Solos quinque libros Moysis a LXX translatos quidam putant, signanter *Iosephus; nos tamen secuti auctoritatem veterum Irenaei, Tertulliani, Origenis, totum Vetus Testamentum per LXX translatum dicimus* (Hieron. apud Sixtum Senensem), saltem omnes libros canonis Hebraeorum.

Iure LXX editio obtinuit in ecclesia, quia ab Apostolis usurpata. Hieron. epist. 101, imo *etiam ab apostolis approbata est.* August. epist. 19. eiusque *auctoritas divina.* Aug. lib. 18. Civit. cap. 44. patresque conspirant aspirante Spiritu S. illam esse perfectam.

Hinc factum, quod de suo tempore testatur Augustinus lib. 18. Civ. c. 43. *Hanc quae LXX est, tamquam sola esset, sic recepit ecclesia, eaque utuntur graeci populi christiani, quorum plerique, utrum alia sit aliqua, ignorant. Ex hac LXX interpretatione etiam in latinam lin.*

quam interpretatum est, quod ecclesiae latinae tenent.

Posterioribus tamen temporibus ecclesia per Spiritum S. directa, assumpsit versionem S. Hieronymi, praetermissa translatione LXX. Idque gravissimis de causis, quarum non minima fuit, quam allegat Hieronymus epist. 107: *pro varietate regionum diversa feruntur exemplaria* graeca, valde a se invicem discrepantia, ita ut alia in Aegypto, alia in Syria, alia in minori Asia essent in usu, *totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnaret.*

Insuper teste Hieronymo eadem epist. 107 *germana illa, antiquaque LXX translatio corrupta est atque violata.* Corruptio multiplex est in numeris annorum Gen. V. et XI. Imo iudice Augustino lib. 15. Civ. cap. 13. *Error iste non casum redolet, sed industriam.*

Non omnia tamen, quae in LXX ab Hebraeis ac vulgata videntur diversa, adversa censenda sunt; sed saepe utraque lectio est authentica: *non enim est illa diversitas putata mendositas, nec ego ullo modo putandum existimo*, inquit Aug. lib. 15. Civ. cap. 14. qui lib. 18. cap. 44. notat, quod sint etiam loca *multa, in quibus ab hebraica veritate putantur LXX interpretes discrepare et bene intellecti, inveniuntur esse concordes.*

§. 11. VULGATA TRANSLATIO LATINA PRIMITIVAE ECCLESIAE

Innumerabiles olim fuisse s. Scripturae translationes latinas, constat testimonio ss. Hieronymi et Augustini. Ille scribit praefat. in Iosue item in Evang. *Apud latinos tot sunt exemplaria pene, quot codices;* id est, tot ferme diversae translationes latinae, quot latina biblia reperiuntur. Augustinus vero lib. 2. Doctr. Christ. c. 11. *qui Scripturas ex hebraea lingua in graecam verterunt numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo; ut*

enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari

Inter latinas illas translationes una erat incerti auctoris, ceteris communior, ideoque ab Hieronymo et Augustino dicta *Vulgata: vulgatum* enim est idem, quod *vulgare*, seu quod in usu communi est. *Vulgatum* etiam vocamus, quod divulgatum est, notumque passim omnibus.

Haec eadem tunc *vulgata* translatio, creditur fuisse illa, quae quod in Italia maxime vulgata esset, *itala* dicebatur, de qua Aug. lib. 2. Doctr. Christ. cap. 15. *In ipsis interpretationibus itala caeteris praefertur; est enim verborum tenacior cum perspicuitate sermonis.*

Porro omnes hae latinae interpretationes, etiam illa itala, quoad libros Veteris Testamenti factae erant non immediate ex hebraeo, sed ex graeca LXXII interpretum translatione; unde scribit August. lib. 18. Civ cap. 43. *Ex hac LXX interpretatione, in latinam linguam interpretatum est, quod ecclesiae latinae tenent.*

§. 12. HIERONYMI LABOR IN VERTENDIS SCRIPTURIS

Multiplicitas versionum, de quibus §. praec. egimus, earumque magna mendositas, non parvam causabant priscis illis temporibus dissonantiam, confusionem, perplexitatem, et dum unusquisque illam, qua utebatur, translationem, codicemque commendabat, atque aliis praeferebat, graves oriebantur altercationes, et dissidia.

Eapropter Hieronymo scripsit Augustinus epist. 10: *plurimum profueris, si eam graecam Scripturam, quam LXX operati sunt, latinae veritati reddideris, quae in diversis codicibus ita varia est, ut tolerari vix possit, et*

ita suspecta, ne in graeco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri, aut probari dubitetur.

Praestitit hoc Hieronymus, vel saltem emaculans, corrigensque ab aliis de graeco in latinum versam translationem LXX, prout variis locis ipse insinuat; vel potius etiam ipse novam de graeco Veteris Testamenti interpretationem condens, cum scribat Augustino epist. 11: *Ego linguae meae hominibus emendate de graeco in latinum transtuli; cum vero* (ut idem Hier. epist. 107.) *pro varietate regionum diversa ferrentur exemplaria*, etiam graeca, *et germana illa, antiquaque graeca translatio LXX corrupta esset atque violata.*

Insuper (ut addit) *Origenes translationi graecae LXX, Theotionis editionem permiscuit*, et *vix unus aut alter inveniebatur codex, qui ista non haberet*, ut iterum Hieronymus monet Augustinum Epist. 89, atque ita perplexitatum, dissensionumque nullus erat finis.

Varia quoque desiderabantur in translatione LXX, quae in hebraeis erant codicibus, signanter testimonia quaedam ex Antiquo Testamento, citata in Novo, *ut est illud: ex Aegypto vocavi Filium meum. Et: Videbunt in quem compunxerunt*. Hieron. Praef. in Pentat.

Denique Iudaei contra versionem LXX tamquam non sinceram, et ab hebraeo textu discrepantem, excipiebant.

Eapropter *presbyter Hieronymus homo doctissimus, et omnium trium linguarum* hebraicae, graecae, atque latinae *peritus*, *non ex graeco*, ut hactenus omnes, *sed ex hebraeo in latinum eloquium Scripturas convertit*, August. lib. 18. Civ. cap. 43.

Hieronymus transtulit totum Vetus Testamentum, exceptis septem postremis capitibus libri Esther, ultimisque duobus libri Danielis, et capitis tertii parte

non modica, item libris Sapientiae, Ecclesiastici, Baruch, Machabaeorum. Haec quippe omnia in hebraeis bibliis non reperit Hieronymus.

Quod Novum Testamentum etiam de graeco latinum fecisset Hieronymus, autumant aliqui; sed longe verosimilius est, eum tantummodo ab aliis confectam translationem emendasse; unde de se ipso scribit libr. de Script. Eccl. *codicum graecorum emendata collatione, Novum Testamentum graecae fidei reddidi.* Et ad Augustinum epist. 89. *si me in Novi Testamenti emendatione suscipis.*

§. 13. VULGATA MODERNA UNDE SIT ORTA

Quia tam latinis, quam graecis translatio LXX interpretum unice usitata erat, atque Vulgata, summoque loco habita; s. Hieronymi de hebraeo in latinum Veteris Testamenti translatio, non solum ab eius aemulis Ruffino, similibusque fuit lacessita et impugnata; sed etiam parum aestimata, atque posthabita a viris doctissimis, sanctissimis, ipsique Hieronymo amicissimis; adeo ut ad eum scribat Augustinus epist. 19. *intelligant propterea me nolle tuam ex hebraeo translationem in ecclesia legi, ne contra LXX auctoritatem, tamquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverunt, quae etiam ab apostolis approbata est.*

Idem epist. 8. Hieronymum hoc stringit dilemmate: *Aut obscura sunt, aut manifesta* (a te, et LXX translata): *si obscura sunt, te quoque in eis falli potuisse creditur; si autem manifesta, illos in eis falli potuisse non creditur.*

Verum dilemma istud argute in Augustinum Psalmos interpretantem, retorsit Epist. 89, Hieronymus; cuius translatio sensim lecta, et penitius examinata, cum

pura, pia, hebraeoque textui conformis inveniretur magis magisque coepit comprobari, et in ecclesia usurpari; ita tamen ut etiam retineretur antiquior illa, quae erat interpretum LXX.

Hinc factum est, ut duae essent in ecclesia latina Vulgatae editiones, vetus una, altera nova, haec Hieronymi, ista LXX.

Discimus istud ex Gregorio M. praefat. lib. Moral. *novam translationem dissero, sed ut comprobationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo, ut, quia Sedes apostolica, cui auctore Deo praesideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur.*

Cum autem Hieronymi versio praestantior in dies agnosceretur, duae vero in una ecclesia, praesertim tantopere discrepantes Vulgatae translationes dissidiorum, aliarumque inconvenientiarum fomitem subministrarent; post Gregorii tempora invaluit, ac praevaluit Hieronymi translatio in tantum, ut tandem a mille circiter annis, vel edita constitutione, vel potius tacito usu, atque consensu, teste Hugone Vict. lib. de Script. c. 9, *ecclesia Christi per universam latinitatem prae caeteris omnibus hanc solam legendam, et in auctoritate habendam constituit.*

Porro cum Novum Testamentum non transtulerit Hieronymus, ut in fine §. praecedentis diximus; ideo tum illud, tum alia, quae de veteri pagina ipse non vertit, retenta sunt ex ista veteri vulgata editione latina.

Psalterium quoque, licet ex hebraeo latinum fecerit Hieronymus, Ecclesia tamen hoc Hieronymianum in Vulgata non recepit; ast aliud ex translatione latina de Graeca LXX non pura, sed a S. Luciano Martyre mixta, et alterata.

Merito etiam cum Baronio, Spondano, aliisque notat

Bellarminus lib. 2. Verb. Dei cap. 9. *editio vulgata, quamvis maxima ex parte Hieronymi sit, tamen non est illa pura, quam ipse ex hebraeo convertit, sed est aliquo modo mixta, additis non paucis ex versione LXX, quae in hebraeo non inveniuntur, atque id potissimum perspicitur in libro primo Regum, et in Proverbiis.*

§. 14. AUCTORITAS VULGATAE

Vulgata (ut vidimus) ecclesiae latina editio S. Hieronymum habet quoad Vetus Testamentum translatorem, quoad Novum versionis antiquae emendatorem, quem cum Novum emaculantem, tum Vetus transferentem impense laudat Augustinus epist. 10. et lib. 18. Civ. cap 43. quo teste vel ipsi *Iudaei eius tam litteratum laborem fatentur esse veracem.*

Igitur Vulgatam commendat Hieronymi fides et scientia. *Commendat quod hac editione generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur, eo quod est veracior in sententiis, et clarior in verbis.* Isidorus, et Rhabanus.

Commendat quod iam *adepta sit possessionem per mille annos communis comprobationis in ecclesia universa, in qua viri eruditione praestantes numquam defuere.* Pallav. lib. 6. Hist. Trid. cap. 17; idque in tantum, ut caeterae translationes omnes, quae pene innumerabiles erant, quasi lapsae de manibus theologorum, penitus obsoleverint.

Commendat insuper Vulgatam, quod ipse Beza praef. ad Novum Test. anni 1559, Erasmi castigationes castiget his verbis: *Quam immerito multis locis veterem interpretem reprehendit, tamquam a graecis dissentientem! Dissentiebat fateor ab iis exemplaribus, quae ille nactus erat, sed non uno in loco comperies, aliorum codicum et quidem vetustissimorum auctoritate, eam interpretationem niti,*

quam ille reprehendit. Quin etiam aliquot locis animadvertimus, veteris interpretis lectionem, quamvis cum nostris graecis exemplaribus non conveniat interdum, tamen multo melius quadrare; nempe quod emendatius exemplar secutus esse videatur.

Similia fatentur alii doctiores haeretici *Waltonus, Fagius, Grotius etc.;* idque merito: nam ostendit Morinus lib. 1. Exercit. 2. cap. 3. Vulgatam convenire cum quodam antiquissimo graeco codice manuscripto, summo loco apud ipsos heterodoxos habito, in illis locis, in quibus differt ab impressis graecis, in Evangeliis et Actibus *trecentis fere in locis*, et in Epistolis Pauli *centum quadraginta et aliquot:* adeo ut Beza clamare cogatur ad Luc. 8. 54. graecos manuscriptos veteres codices esse *mirabiliter conformes Vulgatae.*

Commendat denique ipsa mater Ecclesia, dum prudentissimo iudicio sess. 4. *Tridentina sacrosancta synodus statuit, et declarat, quod ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.* Item dum enumeratis libris canonicis subdit: *si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata editione latina habentur, pro sacris et canonicis non receperit, anathema sit.*

Declarata est ergo *authentica,* hoc est fidelis translatio, quae nullum falsum contineat; quae quoad omnes partes suas sacra sit et canonica, quae nullo praetextu reiici valeat, talisque, ut, docente M. Gregorio lib. 20. Mor. c. 24., *credendum sit quidquid in ea dicitur.*

Qui eam dicunt alicubi a vero aberrare (v. g. in annis priscorum hominum Gen. 5. et 11.) illi evidenter

eam aliquid falsi continere asserunt; clarissime negant eam quoad omnes partes suas sacram esse atque canonicam; non dissimulanter aliquas eius partes reiiciunt; aperte dicunt credendum non esse quidquid in ea dicitur.

§. 15. VULGATA NEC OMNIMODE PERFECTA EST, NEC AB OMNIBUS MENDIS LIBERA

Ut bene notavit Lorca lib. 1. disp. 8, sicut in aliis rebus est aliquid essentiale, quo res vere assequitur sui generis naturam, aliquid vero accidentale, quo ornatur et perficitur, sic in Vulgata considerari potest aliquid essentiale, quod est fidelitas in exprimendo sensum et sententiam prototypi, aliquid vero accidentale, quod ad ornatum et perfectionem pertinet.

Cum eodem Lorca fateor Vulgatam nostram non ita omnibus numeris esse perfectam, quin aliqua in ea potuissent significantius exprimi, quaedam clarius transferri, quaedam latinius verti, quaedam rectiori ordine collocari, sed omnia ista, eius authentiam, §. praecedenti stabilitam, non reddunt instabilem.

Exempla vidimus supra §. 6. Adde psalm. 128. *non potuerunt mihi*, quod latinius intelligibiliusque posset verti: *non praevaluerunt mihi*. Istud 2. Reg. 33. 9. *quando exprobrabant Philistiim*, conformiter hebraeo sublata aequivocatione redderetur *Philistaeis*. Hinc Aug. in psalm. 67. *mallem latini interpretes sic transtulissent:* Aethiopia praeveniet manus suas, *quam* manus eius Deo, *quoniam planius hoc esset, quam quod nunc dictum est*, eius, *et salva veritate sic fieri posset.*

Istud 2. Tim. 3. 16. *omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est etc.* magis genuine fuisset translatum: *omnis Scriptura est divinitus inspirata, et utilis etc.* 1. Cor. 10. ℣. 25. *omne quod in macello venit*, clarius esset, si *ven-*

ditur poneretur pro *venit*. Proverb. 11. 12. *circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, et fatua*; pro *suis* legas *porci*: et sensum perspicis.

Nullum est dubium, quin magis latine potuissent transferri sequentia. Sap. 4. 3. *spuria vitulamina*. Psalm. 117. *Bonum est confidere in Domino, quam etc.* Num. 13. 31. *Murmur populi qui oriebatur*. Num. 29 14. *Arieti uno*. 4. Reg. 10. 32. *Coepit Dominus taedere*. Ioan 14. 12. *Maiora horum faciet*.

Quoad ipsam orthographiam, mallem scribi 1. Esdr. 10. ℣. 34. *Uel* dissyllabum, conformiter ad hebraeum אואל quam, quod in Vulgata est *Vel*, cum pronum sit ut hoc accipiatur tamquam monosyllabum, cuius prima littera sit consonans.

E contra Gen. 36. ℣. 23. pro *Aluan*, et ℣. 40. pro *Alua*. ut habet Vulgata, viderique possent voces trisyllabae, in quibus *u* esset Vocalis; exactius impressum fuisset *Alvan*, et *Alva*, prout est in codice novo parisiensi operum Hieronymi: sunt enim voces dissyllabae, estque in illis *V* consonans.

Variae etiam fuerunt ante correctionem factam per Sixtum V. et Clementem VIII, exscriptorum typographorumque mendae, quarum exempla aliquot habes §. 9. circa finem.

Plus dico: etiamnum varia sunt, quae mendosa videntur: quamvis enim id negent aliqui, putantes correctionem supradictam adeo exactam esse, ut indubitate tenendum sit nullum amplius vel minimum in Vulgata superesse mendum, tamen his repugnant vel ipsi correctores romani, quorum non infimus Bellarminus in litteris ad Lucam Brugensem datis Capuae 6. Decembr. 1603. *Scias velim biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata; multa enim de industria iustis de*

causis pertransivimus, quae correctione indigere videbantur.

Exempla subdo: auctores gravissimi tenent irrepsisse Matth. 27. 9. Nomen *Ieremiae*. Act. 17. 6. *Urbem* pro *Orbem*. Act. 27. 5. *Lystram* pro *Myram*. 1. Petr. 3. 11. *Expectabant* pro *Expectabat*. Verosimiliter superfluit: *Viginti* Exod. 32. 28. *Viginti tria millia*. 2. Mach. 14. 33. *Templum hoc* (puto legendum *hic*) *libero patri consecrabo*.

Illud Ioan. 21. ℣. 22. 23. *sic eum volo manere*, graeca legunt: *si eum etc.* Pro *Si* acriter pugnat Estius, pro *Sic* noster La Haye. Subtilis est, ac bene fundata coniectura nostri Zegeri, quod tam in graeco, quam latino prius fuerit: *Si sic eum*, at ex amanuensium ignorantia, ob similitudinem vocum tam graecarum ἐὰν οὕτως αὐτὸν, quam latinarum *Si sic eum*, exciderit e latino *Si*, et ex graeco *Sic* οὕτως.

Imo ex sola verborum combinatione, aut separatione mendae videntur irrepsisse. Vulgata habet Luc. 18. 11. *Velut etiam*, quo loco genuina lectio videtur: *Vel ut etiam*; siquidem graeca habent: ἢ καὶ ὡς *Vel etiam ut*.

E contra Ezech. 21. 28. *mucro mucro evagina te ad occidendum, lima te ut interficias*. Puto legendum una dictione: *evaginate, limate*, ut sit Vocativus Adiectivus, quod clare patet ex Hebraeo פתוחה מרוטה *Petucha, Merula*, quae immerito noster La Haye urget pro stabilienda lectione mendosa Vulgatae; cum directe illam conficiant, sintque evidenter scientibus hebraeum, non verba imperativa, sed adiectiva passiva, unde Hieronymus in commentariis super Ezechielem transtulit: *Gladius evaginatus est, et limatus*.

Quamvis etiam Clemens VIII in Bulla, editioni vaticanae vulgatae praefixa, sub poena excommunicationis maioris latae sententiae inhibeat, ne ullus Vul-

gatam typis mandare praesumat, nisi iuxta exemplar in typographia vaticana excusum, *ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta;* cum tamen addat: *nisi aliquod occurrat, quod typographicae incuriae manifeste adscribendum sit*, evidenter supponit, etiam in hoc ipso vaticano codice mendas irrepere potuisse, ac forsitan irrepsisse, quod contigisse in illis 1. Reg. 2. 17. *retrahebant homines a sacrificio*, Bandinus typographiae vaticanae praefectus testatur, et probat: *cum libri* hac editione vaticana antiquiores *omnes et impressi, et manuscripti habeant*: detrahebant homines sacrificio.

Tale etiam iuxta Lucam Brugensem est istud Act. 2. 23, *affligentes*, ad quod ipse: *Pro* AFFIGENTES, *quod est crucifigentes, errore excusum est in exemplari romano*: AFFLIGENTES, *quod est tribulantes.* Saltem non dubito genuinam lectionem esse *affigentes.*

Quin et novi in dies naevi irrepunt. Notabile est, quod habent biblia tam plantiniana anni 1664, quam coloniensia 1682, Eccli. 1. 24. *Scientiam, et intellectum prudentiae sapientia compatietur;* cum in omnibus aliis tam manuscriptis, quam impressis repererim: *compartietur.* In iisdem plantinianis certo menda est Habac. 2. 3. *operuit coelos gratia eius pro gloria.* Item Luc. 13. 2, *pro omnibus*, loco *prae omnibus.*

Sed etsi contra has similesque mendas excepero, non tamen Vulgatam in ullo reiecero. Sunt haec Vulgatae vulnera, non partes. *Neque si quid scriptorum, aut typographorum est errore mutatum, stulta debemus contentione defendere.* S. Hieron. epist. 135.

§. 16. IN VULGATA SUNT VARIA PRAETER SCRIPTURAM

Iubet Trident. sess. 4. pro sacris, et canonicis suscipi omnes libros cum omnibus partibus, prout in veteri Vulgata editione latina habentur; non tamen omnia sunt S. Scriptura, quae in editione vulgata quomodocumque continentur; continentur enim in illa praeter 3. et 4. Esdrae, et alia quaedam apocrypha, de quibus supra §. 4. nunc quidem ad calcem, antea vero sparsim ante quoslibet pene libros, praefationes S. Hieronymi, quas tamen nemo umquam s. Scripturam putavit.

Posuit etiam varia S. Hieronymus aliique inter ipsas Scripturae partes, quae non sunt Scripturae pars aliqua, sed notae tantummodo, atque instructiones.

Talia sunt illa, quae reperiuntur 2. Esdrae 7. inter ℣. 69. et 70. Esther 10. inter ℣. 3. et 4. aliaque quam plurima in posterioribus Esther capitibus. Item Dan. 3. inter ℣. 23. et 24. ac inter ℣. 90. et 91. atque post ℣. ult. cap. 12. Item post ℣. 21. psalmi 9. Variaque alia apposita titulis psalmorum, v. g. psalm. 3. 7. 17. 33. 50. 53. etc.

Varia etiam explicationis causa intra textum Vulgatae de suo addiderunt interpretes, aut adscripserunt amanuenses. Talia sunt Ios. 3. 16. *Quod nunc vocatur Mortuum*. Gen. 31. 47. *Uterque iuxta proprietatem linguae suae*. Gen. 41. 45. *Lingua Aegyptiaca*. Deuter. 12. 15. *Hoc est maculatum, et debile... Hoc est integrum, et sine macula; quod offerri licet*. Haec interposuit Hieronymus, ut sciremus, hoc loco *mundum* et *immundum* in ordine ad sacrificium, non in ordine ad esum sumi.

Tale etiam puto esse istud 3. Reg. 16. 7. *Hoc est Iehu filium Hanani prophetam*, quod a variis latinis, et

ab omnibus hebraeis, chaldaeis, graecis abest, imo falsum videtur; cum constet ex 2. Par. 19. 2. *Iehu filium Hanani* diu post Baasam vixisse, sic ut ab eo non potuerit occidi.

Insuper multae interpretationes nominum ignotorum intra ipsum textum ponuntur, quae de textu non sunt, ut illa Exod. 12. 11. *id est transitus.* Exod. 16. 15. *quod significat: quid est hoc?* Deut. 23. 2. *hoc est de scorto natus.* Iudic 15. 17. *quod interpretatur: elevatio maxillae.* Apoc. 9. 11. *latine habens nomen: exterminans.* Et caetera talia multa.

Quaedam tamen excepta velim, nempe dum ab ipsis hagiographis explicantur nomina, qualia sunt Marc. 5. 41. *Quod interpretatur: puella tibi dico, surge.* Ioan. 9. 7. *Quod interpretatur: missus,* Act. 4. 36. *Quod est interpretatum: filius consolationis.*

Deinde, ut §. praecedenti diximus, mendae videntur etiamnum aliquae esse in Vulgata; quaecumque autem illae sunt, indubie sacra Scriptura non sunt.

Etiam non sunt verbum Dei tituli in Vulgata singulis libris praefixi, v. g. illi: *Liber primus Samuelis, quem nos primum Regum dicimus. Liber Regum tertius, secundum Hebraeos primus Malachim. Epistola B. Pauli ad Romanos. Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Matthaeum, etc.*

Tituli tamen illi, qui non praefixi sunt, sed initium libri alicuius, vel historiae, cum quibus uno contextu reliquum libri cohaeret, Vulgatae pars sunt, et S. Scriptura. Tales sunt Is. 1. 1. *Visio Isaiae filii Amos.* Marc. 1. 1. *Initium Evangelii Iesu Christi.* De titulis psalmorum actum est supra §. 4.

Capitum, versuumque numerus, distinctio, adnotatio, ipsaeque interpunctiones, commata, puncta, etc., quae

modo in Vulgata reperiuntur, solius commoditatis causa sunt adhibita; unde nec ista ad textum pertinent. De illis vide cap. 2. §. 8. Ibi etiam reperies quandonam, et a quibus haec Scripturae in capita, et versus divisio, facta sit, et quidem capitum non praecessisse annum Christi 1200, versuum vero nequidem annum 1540.

Fit quidem a patribus aliquoties de versibus mentio; verum illi nunquam per capitum, versuumque numerum Scripturam citarunt; neque versus computabant per sententias, sed verborum numero, erantque ipsis singulae sex voces versus unus. Sic una tantum voce versum superassent unum, quae modo tres versus constituunt Exod. 20. ℣. 13. 14. 15. E contra solus versus 4. cap. 4. Ruth continet antiquorum versus novem cum medio.

Ex dictis consequitur capitum, versuumque notas, ac numeros nec Vulgatae partes esse, nec verbum Dei: praestantque haec magnam quidem commoditatem; sed nullam specialem obtinet auctoritatem. Quin imo videtur partitio ista hinc inde minus exacta esse, sensumque obnubilare. Exempla habes citata cap. 2. §. 8, ex Ioan. 7. 21. Dan. 13. ℣. ult. Esth. 10. 1. Agg. 2. 1.

Interpunctiones, quae nunc in Vulgata spectantur, iuxta gravissimos auctores, adventitiae sunt, et quamvis a debita interpunctione, quam maxime sensus dependeat (ut ex patribus docemus cap. 2. §. 8.) sine ullis tamen commatibus, punctis, similibusque signis, originalis textus ab hagiographis est conscriptus, et a priscis translatoribus latine redditus.

Hinc dum certa quaedam interpunctio sensui videtur obesse, ab ea cum modestia licet excipere, aliamque rectius substituendam ostendere. Sic Ioan. 7. 21. 22. *Unum opus feci, et omnes miramini. Propterea Moyses dedit*

etc. Punctum istud rectius, ut puto, sequeretur, quam praecedat vocem *propterea.*

Si mihi liceret Num. 15. 5. punctum auferrem ante *Per*, poneremque absoluto versu. Inter illa vero, *sacrificii pro peccato,* Levit. 7. ℣. ultimo, ante *Pro* unum comma optarem; alterum vero collocarem, atque *et* adderem post: *multitudinem* Num. 10. 2.

Act. 21. 25. *Idolis, immolato* reor omnino superfluere istud medium comma, tum propter alia, tum quia in graeco habetur uno verbo εἰδωλόθυτον. E contra deficit interpunctio media Hebr. 10. 6. *holocautomata pro peccato*, nam duplicis generis ibidem sacrificia denotantur, primum *holocaustum*, secundum *ilasticum*, seu *pro peccato.*

§. 17. DATUR SCRIPTURA EXTRA VULGATAM

Hebraeum textum Veteris, et graecum Novi Testamenti, exceptis quibusdam mendis ac corruptelis, Scripturam esse nemo Christianus inficiabitur, atque hoc sensu dari Scripturam extra Vulgatam, nullum est dubium. Sed hic proprie quaerimus an detur ulla vox, aut sententia in Vulgata non contenta, quae S. Scriptura est? Datur utique, et quidem multiplex.

Vulgata non continet Appendiculam Iob, quam tamen Scripturam esse, admodum est verosimile. Insuper in hebraeo graecoque textu leguntur varia, quae quidem cum Vulgata nostra non pugnant, sed tamen desiderantur in ea, quod variis ex causis potuit contingere.

Primo quia vox aliqua, aut etiam integra sententia vel a latino interprete translata non est, vel postquam est translata, e textu latino excidit. Alterutrum contigit Exod. 38. post ℣. 24. ubi in Vulgata deficit integer

versus, qui reperitur in hebraeo, chaldaeo, graeco, de quo etiam nemo dubitat interpretum, quin divinae Scripturae pars sit, nimirum hic: *et argentum numeratorum synagogae centum talenta, et mille septingenti septuaginta quinque sicli, ad mensuram sanctuarii, dimidium sicli in singula capita.* Vulgata est admodum involuta, quia hoc versu caret.

Secundo ex eo, quod in Vulgata nunc alicubi mendum sit; etenim dubium esse nequit, quin vera lectio originalis textus divina sit, quamvis ea in Vulgata desideretur. Huius rei verosimilia exempla dedimus §. 15. v. g. divinum est in graeco textu illud οἰκουμένην *orbem*, non vero est Scriptura vox *urbem*, quae pro ea in Vulgata reperitur Act. 17. 6.

Tertio per hoc, quod non tota vocis significatio in Vulgata sit translata, sed tantum partialis. Illud Vulgatae Luc. 7. ℣. 2. *unicus*, minus significat, quam μονογενής, *unigenitus*, quod et in graeco est, et Scriptura est, et in Vulgata non est.

Insuper saepe originalis textus, signanter hebraeus, plures continet sensus, quorum unum tantum exprimit Vulgata, alium vero alia translatio. Hoc casu clarum est, etiam Scripturam esse illam sententiam diversam, sed non adversam editioni vulgatae, quam alterius istius versionis textus habet.

Hac ratione plurima sunt divina verba in graeco textu Veteris Testamenti, quae non reperiuntur in latina nostra Veteris Testamenti translatione. Vide §. 9. et cap. 2. §. 6.: in pluribus enim talibus translatio LXX extra suspicionem mendi est; cum autem (ut §. 10. vidimus) haec translatio sit *ab apostolis approbata*, eiusque *auctoritas divina*, sic omnes istas sententias, et voces Scripturam esse, omnino est asserendum.

Restat difficultas non exigua, aliudque mirabile hic non dissimulandum. Saepenumero differt a Vulgata translatio LXX, per hoc praecise, quod illi in codice suo hebraeo, ex quo transtulerunt, unam alteramve litteram legerint, vel non legerint, vel aliam legerint, quam in hebraico suo libro invenerit Hieronymus, dum Scripturas transferret. Exemplis res fiet manifesta.

Vertunt LXX Eccle. 8. 6, Γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου πολλή. *Scientia hominis multa.* Legerunt igitur in hebraeo דעת *daath scientia*, at modo est vox simillima רעת *raath malitia, afflictio*, ut habet Vulgata, et legit Hieronymus.

Zachar. 12. 10. LXX, *insultaverunt*, quod dicitur hebraice רקדו *rakadu*. Hieronymus legit, Vulgata habet, in hebraeo reperitur, Ioannes approbat Ioan. 19. 37. In una voce, duplici, sed vix oculo perceptibili differentia דקרו *dakaru transfixerunt.*

Legerunt in hebraeo LXX, Ierem. 31. 32, געלתי *gaalthi*, cum vertant ἠμέλησα *Neglexi*, quod approbat Paulus Hebr. 8. 9. At prima littera parum mutata, Vulgata et hebraea בעלתי habent *baalthi Dominatus sum.*

Cum vertat Hieronymus Psal. 4. 3. *Filii viri, usquequo inclyti mei ignominiose diligitis vanitatem?* Legit ipse, prout et modo est in hebraeo לכלמה *lichlimma, ad ignominiam*. At cum vertant LXX. *Usque quo gravi corde? Ut quid etc.* manifestum est eos legisse separatis litteris, et כ *c* in similem ipsi ב *b* commutata לב למה *Leb lamma, Corde? ut quid?*

Psalm. 57. 9. In hebraeo nunc est, et Hieronymus legit נפל אשת *nephel escheth. abortivus mulieris*. LXX. ultima littera ת *th* dempta נפל אש *naphal esch. cecidit ignis.*

E contra Isa. 27. 1. Vulgata: *gladium suum durum*, conformiter hebraeo חרבו הקשה *hharbo hakkascha*. Sed

interposita littera ד *d* legerunt LXX. הרבו הקדשה *hharbo hakkedoscha. gladium suum sanctum.*

In his aliisque innumeris exemplis non scripserunt hagiographi utrasque litteras, sed si eas, quas legit Hieronymus, non illas secundum quas verterunt LXX; vel si has, certe non istas. Utra ergo ex his duabus lectio divina est? Utri credemus?

Utrique, nam ut Augustinus lib. 18 Civ. c. 44. *Utraque divina est.* Idem ibid. cap. 43. *Quidquid est in hebraeis codicibus, et non est apud LXX Interpretes, noluit hoc per istos, sed per illos prophetas Spiritus Dei dicere. Quidquid vero est apud LXX, in hebraeis autem codicibus non est, per istos maluit, quam per illos idem Spiritus dicere.*

§. 18. DE VARIIS TRANSLATIONIBUS

Post famosam Veteris Testamenti versionem graecam interpretum LXXII, graecas tres alias fecerunt Aquila, Symmachus, Theodotio, in hoc Hieronymo teste dispares, quod *Aquila verbum e verbo, Symmachus sensum e sensu, Theodotio ex utroque commixtum, et medie temperatum genus translationis expresserint.*

Cum hi fuerint malae fidei, fidei quoque parvae sunt eorum versiones, nisi quod e Theodotione olim ecclesia legerit totum Danielem, ac etiamnum duo ultima capita, cum tertii versibus 66.

Origenes Aquilae, Symmachi et Theodotionis Versiones una cum LXX coniungens per diversas columnas in una pagina, *Tetrapla constituit.* Euseb. lib. 6. Idem Origenes postea praecedentibus addens hebraeum textum semel hebraeis, semel graecis litteris expressum, composuit *Hexapla; Octapla* vero adiungens ab incertis auctoribus factas *quintam* et *sextam* translationes graecas.

Chaldaica versio, seu targum bibliorum, est potius *paraphrasis*, quam *translatio*, fabulisque respersa; utilis tamen ut ad hominem arguantur Iudaei, qui hanc authenticam habent, eiusque antiquitatem plus iusto iactant. Aliqui eam ut auctoribus adscribunt partim Aquilae, partim Theodotioni; sed falso, cum haec versio manifeste sit Hieronymo iunior, utpote ipsi penitus ignota; hi vero fuerint Hieronymo seniores.

Samaritanus Pentateuchus magni momenti est, ex quo Hieronymus quandoque hebraeum textum correxit.

Praeter Vulgatam variae sunt aliae translationes immediate de hebraeo factae, sed novae omnes, ut *Xantis Pagnini*, quam postea alterans, magisque verbaliter hebraeis phrasibus accommodans, edidit *Benedictus Arias Montanus.*

Sunt et aliae, utpote *Isidori Clarii*, *Malvendae*, *Guarini*, variaeque novae factae de Graeco LXX. Tribuitur etiam aliqua Vatablo, sed immerito; nam e foetentibus haereticorum lacunis prodeuntem, edidit Robertus Stephanus calvinista, illam Vatablo admentiens, modicae proinde fidei est, uti et Tygurina, a qua non differt, nisi quod Vatabli putatam emacularint Salmanticenses.

Omitto varias ab haereticis in varias linguas factas Scripturae versiones, vel potius inversiones et perversiones, de quibus ita Genebrardus in praefat. Orig. *Versiones, quas nobis pepererunt novatores, ineptae sunt, indoctae, barbarae, factiosae, fidei saepe, et pietati noxiae, corruptae multis additionibus et distorsionibus.* Quid fidei sperabis a perfidis? Quid luminis ab excaecatis?

Ut haeresim de fide iustificante instillet Lutherus, temerario ausu intrusit vocem *Solam* Rom. 3. 28. *Arbitramur iustificari hominem per fidem* SOLAM. Calvinus et Beza corrumpunt Act. 1. 14. dum pro *cum mulieri-*

bus σὺν γυναιξὶ, vertunt: *cum uxoribus*, et addunt *suis*, ut persuadeant etiam post Christi ascensionem apostolos uxores, earumque usum habuisse.

Si sic praecedant haereticorum patres et magistri, quid expectandum a filiis ac discipulis?

De omnibus ergo similibus versionibus dico cum Morino, exemplo ss. patrum nos illis uti posse; sed non secus, quam apes ad foetus fovendos, et mella maturanda fucis usae, eos a se abigunt, atque exterminant. Ancillentur igitur hae omnes ecclesiasticae translationi, non dominentur; auxilientur, non imperent; eam stabiliant, non concutiant; illustrent, et ornent, non obscurent, nec foede dilacerent.

Mentiuntur pro more suo haeretici, dum versiones Scripturae, in linguas vernaculas et fieri, et legi prohibitum dicunt ab ecclesia romana; neminem enim ab hoc arcet absolute, sed usum hunc modificavit saluberrime pia mater, inhibens ne passim omnibus sine discrimine lectionem illam permittant superiores, sed solum *eis, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.* Non quia lectio Scripturae secundum se bona non sit; sed *cum experimento manifestum sit, si s. biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri.*

Neque enim (ut caetera taceamus) *natae sunt haereses, et quaedam dogmata perversitatis, illaqueantia animas, et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.* August. Tract. 18. in Ioan.

Porro si sit periculosum, quod vulgares et indocti legant ipsam Scripturam; multo magis periculosum erit,

si legant famosum illud Novum Testamentum gallicum vulgo *Montense* dictum, et recusum cum hac fraudulenta adscriptione: *revisum et correctum*. Praesertim postquam nunc bis romano fulmine percussus est liber, ita ut illum sub poena excommunicationis latae sententiae legi prohibuerit Clem. IX. *Ubicumque impressum, sive inposterum imprimendum, tanquam temerarium, damnosum, a Vulgata difformem, et offendicula simplicium continentem.*

In pseudo-evangelio isto traductor pro verbo Dei propinat errores hominum, Novumque Testamentum non vertit, sed pervertit, sexcenta infideliter transfert, textus non paucos turpiter falsificat, praesertim ut hodiernas novitates propugnet, atque incautorum animis instillet. Est proinde inter ipsum et Vulgatam non verborum pauca, sed rerum dissensio magna.

Gallicae versionis montensis surculus est Flandrica nupera, quae *Embricensis* audit a mendaci frontispicio; etenim Embricae non est typographia ulla. Imo haec Montensi multo peior est, et infidelior, ut ostenditur variis libellis contra eam editis. Quapropter iure merito proscripta est ab Archi-episcopo Mechliniensi, Episcopo Leodiensi, Episcopo Ruremondensi, nunc Antverpiensi, Vicario Apostolico Silvaeducensi, etc.

Specimen perversitatis unum exhibeo; Istud Act. 2. 27. *Non derelinques animam meam in inferno*, transfert: *Gy en zult my niet verlaten in het graf. Non derelinques me in sepulcro.*

§. 19. SCRIPTURAE OBSCURITAS, ATQUE INFALLIBILITAS

In Scripturis *sunt quaedam difficilia intellectu*. 2. Petr. 3. 16. non solis impiis et incredulis, sed etiam piis fidelibus. Certe *et ipsi* Ioseph et Maria *non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos* Dominus Iesus Luc. 2.

Noto cum Chrysostomo Hom. 44. in Matth. *Non sunt Scripturae clausae, sed obscurae; obscurae quidem, ut cum labore inveniantur, non clausae, ut nullo modo inveniantur.* Sed etiam dico cum Aug. lib. 2. Doctr. Christ. cap. 6. *Ita obscure quaedam dicta sunt, ut densissimam caliginem obducant, quod totum divinitus provisum esse non dubito.* Item in Psal. 140. *Sunt in Scripturis profunda mysteria, quae ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quaeruntur ut exerceant, ad hoc aperiuntur ut pascant.*

Igitur ob fines iustissimos voluit Deus hanc verbi sui obscuritatem, cuius causae materiales sunt variae. Praecipuae sunt: intellectus nostri imbecillitas, rerumque, quas Scriptura tractat, sublimitas, absentia, aenigmatica propositio, hebraicae, nec non graecae linguae phrases et idiotismi.

Denique Scripturae et cum se ipsa, et cum naturali lumine apparentes *antilogiae*, seu contradictiones tot ac tantae, ut omnia fatigent ingenia, nec ullus sit, nisi praesumptuosus et stupidus, quin candide fateatur, se non omnes ad plenum posse dissolvere

Dixi: *antilogias apparentes*, non *veras: etenim cum videatur Scriptura inter se esse contraria, utrumque verum est, cum diversum sit.* Hieron. epist. 125. Et Aug. epist. 19. *De prophetarum vel apostolorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare, nefarium est.* Utique *impossibile est mentiri Deum.* Hebr. 6. 18. *Omnis Scriptura est divinitus inspirata,* 2. Tim. 3. Ergo *non potest solvi Scriptura.* Ioan. 10. 35.

Ita sibi omnia in canonica auctoritate concordant, ut tamquam uno ore dicta, iustissima, et prudentissima pietate credantur, et serenissimo intellectu inveniantur, et solertissima diligentia demonstrentur. Aug. lib. 11. contra Faust. cap. 6.

Proinde (idem ibid. cap. 5.) *Si quid ibi velut absurdum moverit, non licet dicere; auctor huius libri non tenuit veritatem; sed: aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.* Vide cap. 2. §. 1.

§. 20. DE SENSIBUS S. SCRIPTURAE (1)

Non omnis ille est Scripturae sensus, quem verba Scripturae quomodocumque significant; alias enim saepe falsum, impertinentem, aut etiam impium sensum contineret; nimirum in metaphoricis locutionibus.

Sed sensus Scripturae sacrae est illa veritas, quam verba Scripturae significant, ex loquentis Spiritus S. intentione, idque sive immediate, et hic vocatur *litteralis*, item *historicus;* sive mediate, et iste appellatur *mysticus*, item *spiritualis*.

Hunc Abbas *Nesteros* (apud Cassian. Coll. 14. cap. 8.) et post ipsum scholastici omnes, dividunt in *allegoricum*, *anagogicum*, et *tropologicum*, sive *moralem*. Paulo quidem aliter in hac materia loquuntur Patres, sed non tam in re ipsa, quam in verbis discrepant.

Sensus *litteralis* duplex est: *proprius*, *et metaphoricus*, seu ille, quem Scripturae Verba significant non proprie, seu ut iacent, accepta, sed improprie, seu metaphorice; est autem *metaphora, de re propria, ad rem non propriam verbi alicuius usurpata translatio.* Aug. lib. contr Mend. c. 10.

Unde in locutione metaphorica non id *a quo*, sed id *ad quod* translatio fit, ex intentione loquentis vox immediate significat. V. g. per haec verba Matth. 16. 6. *cavete a fermento pharisaeorum*, Christus non intendit prius significare fermentatum panem, et deinde permixtam, atque corruptam erroribus doctrinam eorum,

(1) Vide libellum de sensibus s. Scripturae et cabala iudaeorum.

ut patet ibid. ℣. 11. et 12; sed vocem *fermentum* metaphorice sumens, qualiter sumpta non panem fermentatum significat, sed a similitudine fermenti, permixtam falsitatibus doctrinam, unice atque immediate perversa pharisaeorum dogmata praecipit evitare.

Itaque metaphoricus sensus non est mysticus, neque illud a quo metaphora desumitur, in sensu metaphorico etiam significatur: connotatur tamen aliqualiter analogia.

Nullus est Scripturae locus sine sensu litterali. Imo *sensus spiritualis super litteralem fundatur*, *et eum supponit*, ut bene reflexit doctor angelicus 1. p. q. 1. a. 10. qui monet q. 4. de Potent. art. 1. *Vitandum ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent, et possunt salva circumstantia litterae Scripturae aptari, penitus excludantur; hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat.* Unde concludit cum August. lib. 3. Doctr. Christ. cap. 27. et lib. 12. Confess. cap. 18. et seqq. *Omnis veritas, quae salva litterae circumstantia potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus.*

Potest igitur unus idemque Scripturae locus diversos (sed non adversos) sensus habere, non solum litteralem unum, et alios mysticos, sed etiam plures litterales. *In Christo Iesu Filio Dei*, inquit S. Leo Serm. 9. de Nativ., *non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est: generationem eius quis enarrabit?* Isaiae 53. 8.

Mysticus sensus (qui etiam vocatur *spiritualis*, item *typicus*, et generali nomine *allegoricus)* est, quem verba Scripturae, ex intentione Dei significant mediate. Nam *quoniam Deus non tantum loquitur per verba, verum etiam per facta, ideo in Scriptura non tantum significant verba,*

verum etiam facta. Bonav. Prooem. Brevil. Idque non solum in Antiquo, sed in Novo quoque Testamento, *quia* etiam *ea quae fecit Dominus noster Iesus Christus et opera et verba sunt; opera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt.* Aug. Tract. 44. in Ioan.

Intellectus Scripturae mysticus est tripartitus, nam alius allegoricus, alius anagogicus, alius tropologicus, quorum primus servit Fidei, secundus Spei, tertius Charitati. Bonavent. in Psalm. 118.

Tropologia sive moralitas est, quando per illud quod factum est, datur intelligi quod faciendum est. Allegoria est, quando per illud quod factum est, indicatur illud quod credendum est. Anagogia est quasi sursumductio, quando per unum factum, intelligendum est illud quod desiderandum est. Bonav. Prooem. Centiloq.

Sic, ut notat Cassianus supra: *Una atque eadem Ierusalem potest intelligi 1. secundum historiam civitas Iudaeorum. 2. Secundum allegoriam ecclesia Christi. 3. Secundum anagogen, civitas illa coelestis. 4. Secundum tropologiam, anima hominis.* Addo ego 5. Secundum metaphoram, Ierosolymae cives, de quibus Matth. 23. *Ierusalem Ierusalem, quae occidis prophetas.* Nam ibi *Ierusalem non saxa, et aedificia civitatis, sed habitatores vocat.* Hieron. in Matth. 23.

Sensus accommodatitius est ille, quem verba Scripturae habent non ex intentione Dei, sed alterius, verba Scripturae usurpantis, atque accommodantis, ad aliud quidpiam significandum; unde ille non est Scripturae sensus, sed usus, et utinam non saepe gravissimus busus!

Usum probamus cum Bernardo serm. 51. in Cantic. *Dummodo veritas patrocinetur, et charitas, cui Scripturas servire oportet. Charitas,* ut ad honestum finem fiat, non

ad nugas, aut peiora; nam sacrilegi sunt, *quicumque de Scripturis sanctis aliquid non sancte usurpant.* Bernardus in psal. 90. qui, prout et Trident. sess. 4. tales *temeratores et violatores verbi Dei* acriter perstringit.

Veritas etiam adsit, ne accommodatio ista destruat verum Scripturae sensum, maxime autem ne pro vero Scripturae sensu obtrudatur.

§. 21. DE INTERPRETATIONE S. SCRIPTURAE

Duplex datur Scripturae interpretatio. Una vocatur *Metabole*, hoc est *Translatio*, *Transmutatio;* quando nimirum ex una in aliam linguam Scripturae mutantur, seu transferuntur. Ita *Melchisedech interpretatur rex iustitiae* Hebr. 7. 2. Item librum Esther *dixerunt interpretatum esse Lysimachum.* Esth. 11. 1.

Alia Interpretatio appellatur *Exegesis*, id est *Expositio;* dum scilicet exponitur, sive explicatur Scripturae sensus. Ita Christus discipulis euntibus in Emmaus *interpretabatur in omnibus Scripturis.* Luc. 24. 27.

Ad utramque hanc Interpretationem requiritur in interprete et fides sincera ne fallat, et ne fallatur congrua doctrina, linguarumque notitia.

Ut autem quisque dum Scripturam legit sibi ipsi sit bonus interpres; necessarium est, primo ut Scripturae verba intelligat; siquidem *non possumus scire sensum, nisi eum per verba discamus.* Hieron. in Eccle. 1. Secundo ut verum Scripturae sensum cognoscat: nam *Scripturae S. nisi eas recte intelligas, utiles tibi esse non possunt.* Aug. Epist. 222.

Ad hoc servit opusculum quod iam in lucem edimus. Tradit enim securam methodum dignoscendi vim verborum sententiasque integras et sensus investigandi.

Signanter attendendus est §. 2. cap. 2. et hoc loco

advertendum, ne quoad Scripturae sensum, nimium quis proprio fidat ingenio, ut hoc Scripturam asserere putet, quod forte repugnat ecclesiae dogmatibus; nisi enim hanc unusquisque cautelam adhibeat, manifesto haereseos periculo se exponit: *omnes enim haeretici, qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores.* Aug. epist. 222. *Non enim possit eis error oboriri palliatus nomine christiano, nisi de Scripturis non intellectis.* Aug. lib. 83. qq. q. 69.

Ideo Tridentinum sess. 4, *decernit, ut nemo suae prudentiae innixus s. Scripturam interpretari audeat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet s. mater ecclesia.* Seu (ut Pallav. loquitur; et primo formatum videtur decretum) *ne aliter, quam ecclesia patresque sentirent. Sed prudenter Clodiensis admonuit, id non de quacumque diversitate intelligendum, sed de ea, quae illis repugnaret; cum alioqui liceat e quovis Scripturae loco novam sententiam elicere, ubi locus ille nec ab ecclesiae auctoritate, nec a patrum concordi consensione certam iam*, seu adaequatam *interpretationem obtinuit.* Ad eumdem modum intelligenda est formula professionis fidei praescripta a Pio IV.

Finio hoc caput cum monito S. Hieronymi in Matth. 10. *Prudens lector, cave semper, ut non tuo sensui attemperes Scripturas, sed Scripturis iungas sensum tuum.*

CAPUT SECUNDUM

REGULAE AD INTELLIGENTIAM SCRIPTURAE SACRAE UTILISSIMAE E SS. PATRIBUS COLLECTAE

§. 1. SACRA SCRIPTURA EST INFALLIBILIS

Ioannis 10. 35, *non potest solvi Scriptura*, id est, mendax vel falsa inveniri aut esse, ut exponit S. Hilar. de Trin. aliique; nec mirum, cum sit ipsum verbum infallibilis ac veracissimi Dei, qui nec falli nec fallere potest, sive per se, sive per alium loquatur; de quo et Apostolus Tito cap. 1. 2, *qui non mentitur Deus*, seu (ut Graece scripsit) ἀψευδὴς, quod ad verbum posset verti: *immendax*. Nullae igitur in s. Scriptura sunt *antilogiae*, seu contradictiones verae, sed tantummodo apparentes.

Itaque hanc teneamus I. *Regulam sanitatis, ut quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus; quod autem secundum sanam fidei regulam* (in Scriptura) *intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc est, ut etiamsi quid nescimus, bonum tamen, et verum esse minime dubitemus.* S. August. Tract. 18. in Ioan. Idem cont. Faust. 11. c. 5. *Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor huius libri non tenuit veritatem; sed: aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.* Quod de interprete dicit, vix aut ne vix quidem applicari debet Vulgatae nostrae, praesertim postquam illa iam per ecclesiam declarata est authentica: etiam in illa nunc correcta, mendae rariores sunt;

sed de suo tempore loquitur Augustinus, quando magna erat codicum variorum mendositas, et multiplex multorum interpretum hallucinatio.

§. 2. ECCLESIA EST INFALLIBILIS INTERPRES SCRIPTURAE

Recte notavit *Walton* alioqui heterodox. in Polyglot. Anglic. Prol. 5. c. 2. *Verbum Dei non in litteris, sed in vero sensu verborum proprie consistere, quem nemo melius explicare potest, quam ecclesia vera, cui sacrum hoc depositum Christus commisit, quae genuinum eius sensum, quasi per manus traditum ab apostolis, et ecclesiarum rectoribus acceptum, fideliter posteris transmittit.* Proinde si de sensu alicuius loci s. Scripturae difficultas emerserit, praesertim si sit circa aliquem fidei articulum, non spiritus privati, aut proprii ingenii iudicium; sed consensus ss. Patrum, et super omnia iudicium ecclesiae attendendum est et sequendum. Nam ut Aug. serm. 18. de verbis Dom. cap. 20. *quomodo haec* Scripturae *verba intellexerunt sancti* concorditer, *sic utique intelligenda sunt.* Conc. Milevit. Can. 2. *Non aliter intelligendum est, nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit: etenim ecclesia est columna et firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3. 15. *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Matth. 16. 18. Sequendum proinde salutare monitum, quod in simili dat August. lib. 1. contra Crescon. cap. 33. *Quoniam sacra Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quaestionis, ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura ipsa demonstrat.*

Si vero patres non conveniant in alicuius loci explicatione, liberum est sequi sensum, qui ex pluribus ab ecclesia non reprobatis, cuique verosimilior videtur. Sed semper ante oculos habendum monitum s. Hiero-

nymi in Matth. 10. 30, *Prudens lector, cave semper, ut non tuo sensui attemperes Scripturas; sed Scripturis iungas sensum tuum.*

§. 3. LOCA CLARA EXPLICANT OBSCURA

Ad obscuriores locutiones explicandas de manifestioribus sumantur exempla; et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. August. lib. 2. Doctr. christ. cap. 9. Etenim obscuri alicuius loci sensus saepe fit manifestus per hoc, quod alibi per verba clariora idem dicatur; ad quae proinde recurrendum, ut prior elucidetur: nam teste Aug. lib. 2. Doctr. christ. c. 6, *nihil fere de* Scripturae *obscuritatibus eruitur, quod non planissime alibi dictum reperitur.* Idem lib. 3. cap. 26. *Ubi apertius ponuntur, ibi discendum est quomodo in locis intelligatur obscuris; neque enim melius potest intelligi, quod dictum est Deo: apprehende arma et scutum, etc. quam ex illo loco ubi legitur: Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae:* Illud Matth. 9. 1. *Iesus venit in civitatem suam,* non *Nazareth* designare, ut putavit Hieronymus; non *Bethlehem,* ut censuit Sedulius; sed *Capharnaum,* ut reflexit Chrysostomus, patet ex Marc. 2. 1. Atque adeo ex Marco obscuritas, quae in Matthaeo est, elucidatur.

Exod. 34. 28, *scripsit in tabulis:* hoc ad Moysen referendum videretur, si non clare constaret de Deo, seu angelo Deum repraesentante dici, ex Exod. 34. 1. et signanter Deuter. 10. 1. 2. 3. 4. An Core (uti Dathan et Abiron) etiam terra dehiscente perierit, dubium manet Num. 16; sed clarum evadit ex Num. 26. Tempus quo Christus suum pascha celebravit, attento solo Ioannis evangelio, videretur fuisse duobus ante festum paschatis diebus; sed ex aliis evangelistis manifeste con-

stat, fuisse pridie paschalis festivitatis. Ex Marci 14. 69, videretur eadem fuisse ancilla, quae bis obiecerit Petro discipulatum Christi, nempe eadem cum illa, de qua ibidem ỷ. 66: sed expresse notat Matthaeus cap. 26. 71, quod fuerit *alia ancilla.*

§. 4. SENSUS AMBIGUITATEM FREQUENTER TOLLIT ORIGINALIS LINGUAE TEXTUS

« In obscuris sensibus, praesertim ubi oratio vel vox aequivoca est, utilissime recurritur ad aliarum linguarum textus, maxime hebraeum et graecum, in quibus ordinarie ambiguitas illa non est. Exemplum dat Aug. lib. 3. doctr. christ. cap. 4. *Consolati sumus, fratres, in vobis* (1. Thessal. 3. 7.). *Dubium est utrum, o fratres, an vos fratres; sed graeca lingua hos casus pares non habet, et ideo, illa inspecta, renuntiatur vocativus, id est, o fratres.* Nam in graeco est ἀδελφοί, non ἀδελφοὺς. E contra 1. Ioan. 3. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ex graeco ὅτι ἀγαπῶμεν τοὺς ἀδελφοὺς, patet illud *fratres* accusativi casus esse, non vocativi. S. Aug. supra cap. 3. *Quod scriptum est psal. 138. non est occultatum os meum a te: non elucet legenti, utrum os ab eo, quod sunt ossa, an ab eo, quod ora, intelligitur; sed talia linguae praecedentis inspectione diiudicantur; nam in graeco non ςόμα, sed ὀςέον positum est.* In hebraeo עָצְמִי *Otsmi Os* ossis, non פִּי *pi os* oris. Proverb. 11. 22, *circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.* Hebraeum חֲזִיר *chazir porcus, sus*, ostendit istud *suis* non esse pronomen. Psalm. 18. 14. *si mei non fuerint dominati:* hebraeum: בִּי *bi in me*, monstrat, quod *mei* non sit ibidem nominativus pluralis, sed genitivus singularis. 1. Cor. 5. 13: *auferte malum ex vobis ipsis*, ut monet Aug. quaest. 30. in Deuter. *credibilius est de homine*

dictum, quam de vitio, nam graecus habet: τὸν πονηρὸν, *nec ait* τὸ πονηρὸν, *id est, hoc malignum, sed* τὸν πονηρὸν, *quod est, hunc malignum.* Marc. 16. 14. *his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt:* non est sensus: *his, qui viderant eum resurgentem,* puta angelis, ut intelligunt aliqui; sed: *his, qui viderant resuscitatum,* scilicet Magdalenae, mulieribus, etc.; idque patet ex graeco: ἐγηγερμένον. Act. 8. 34. *de quo propheta hoc dicit?* Ut in pluribus aliis, sic et in hoc loco insigniter erravit embricensis interpres vertendo: *de quali propheta dicit ipse hoc?* Etenim vocem *propheta* non esse ablativi casus, ut ipse putavit, sed nominativi, evidentissimum est ex graeco textu, qui habet: περὶ τίνος ὁ προφήτης λέγει τοῦτο; quod est latine: *de quo dicit hoc propheta?* Non est autem: περὶ τίνος προφήτου;.

§. 5. VARIARUM LINGUARUM TEXTUS VERBOTENUS REPUGNANTES, QUANTUM EST POSSIBILE CONCILIANDI SUNT

Diversarum linguarum textus, vel etiam eiusdem idiomatis diversi codices (nisi de inscitia, aut infidelitate interpretum, vel de mendositate codicis constet) dum in quopiam Scripturae loco discordes esse videntur, debent, quantum est possibile, ita explicari, ut saltem sensu conveniant; qualiter revera saepius conveniunt, etsi corticem verborum attendendo, multum discrepare videantur. Idem est de diversis Scripturae locis ad invicem comparatis: nam in illis (ut Reg. 1. diximus) nulla potest esse vera contradictio. Sic illa Matth. 2. 6. *Tu Bethlehem.... nequaquam minima es,* non repugnat cum Michaeae 5. 2. *Parvula es:* nam hic sumit vel interrogative, vel per antiphrasim, q. d. non es parva dignitate, esto sis exigua murorum ambitu. Eccli. 9. 1, *nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.*

Hunc locum in Vulgata esse falsificatum, falso calumniantur haeretici; nam quod verbotenus est in hebraeo: *etiam amorem, etiam odium non sciens homo,* sensu coincidit cum Vulgata: subauditur enim in hebraeo: *Dei erga se,* hoc est, an placeat Deo, atque adeo eius amore dignus sit, an vero displiceat, ac propterea odio habeatur. Vulgata psalm. 94. 10, *quadraginta annis offensus fui generationi huic.* Ita etiam Paulus ad hebraeos 3. 10, *infensus fui:* alia tamen psalmi antiqua versio, et ex illa etiamnum invitatorium matutini habet: *proximus fui;* sed eodem sensu, nam *proximus* hoc loco idem est ac *allidens,* et *impingens*, quasi in scopulum aut trabem, unde offendiculum et nocumentum.

§. 6. QUAMVIS TEXTUS TRANSLATI ETIAM QUOAD SENSUM VARIENT IN ALIQUO LOCO, AMBO EQUIDEM VERI ESSE POSSUNT

Non raro deprehenditur duos textus in eiusdem loci translatione etiam quoad sensum variare, sic ut equidem utraque versio legitima sit et vera; eo quod isti duo sensus, quamvis sint varii, non sibi tamen aut veritati sint contrarii; sed ambo contineantur sub una eademque littera originalis textus, quo casu verificatur illud August. lib. 15. civ. cap. 14. *Non est illa diversitas putata mendositas, nec ego ullo modo putandum existimo.* Sic Vulgata Gen. 47. 31, *adoravit Israel conversus ad lectuli caput.* At graeca habent, seu LXX. et ex illis Paulus hebr. 11. 21: *adoravit Israel fastigium virgae.* Diversitas utriusque versionis oritur partim ex hebraea voce מטה quae potest pronuntiari מִטָּה *mitta lectus*, prout fecit Hieronymus, et modo punctuatur; atque etiam מַטֵּה *matte virga,* ut legerunt LXX; hebraea autem

significant utrumque; partim oritur ex voce ראש *rosch,* quae tam *fastigium,* quam *caput* significat.

Potest eadem versionis diversitas oriri ex eo, quod aliqui legant in originali quaedam, ut plura verba, quae alii, ut unum tantum, Deus vero in ista Scriptura intendat utrumque. v. g. habent LXX, et ex illis Vulgata psalm. 47. 15: *ipse reget nos in saecula;* adeoque legerunt uno verbo עלמות *olmoth*, vel *olamoth saecula.* At Hieronymus cum vertat: *ipse erit dux noster in morte*, legit easdem litteras, ut duas voces על מות *al maveth in morte;* vel *al moth in moriendo.* Vide infra §. XVI.

§. 7. DUM TEXTUS INTER SE PUGNANT, VEROSIMILIORI CREDENDUM

Quando diversi textus, aut etiam eiusdem linguae varii codices, ita inter se discordant, ut nequeant conciliari, tunc istius lectio praeferenda est, quae plura pro se signa veritatis habet, sive sit originalis linguae textus, sive translatae; regulariter tamen, et generaliter pro lectione Vulgatae iudicandum est, nisi quid valde urgeat in contrarium; eo quod Vulgata modo sit ab ecclesia declarata authentica. Sic praestat lectio Vulgata psalm. 21. 17. *Foderunt manus meas;* mendosus autem iudicandus est textus hebraeus habens modo כַּאֲרִי *caari sicut leo;* hoc enim irrepsisse pro כָּארוּ *caru foderunt,* patet ex omnibus aliis textibus, interpretibus, et versione Hieronymi legentibus *foderunt.* Rom. 12. 11. latinum: *Domino servientes,* praeferendum est graeco: *tempori servientes;* quandoquidem graeci patres passim legant *Domino,* et Hieronymus epist. 102. ad Marcellam vocet *bipedes asellos,* qui legunt *tempori.* Insuper in graeco sit prona lapsus occasio, eo quod affines sint voces *Domino* κυρίῳ et καιρῷ *tempori;* non est autem tam

facile natum fieri, ut in latino textu pro *tempori*, substituatur *Domino:* e contra in Vulgata videtur mendose positum Act. 17. 6. *urbem* pro *orbem*, qualiter multa latina antiqua habent, et graeca omnia, in quibus non potuit faciliter irrepere οἰκουμένην *orbem*, loco πόλιν *urbem;* at obvium fuit, ut distractus amanuensis *urbem* transcriberet pro *orbem.*

§. 8. SENSUS SAEPE DEPENDET A DEBITA INTERPUNCTIONE

August. lib. 3. doct. christ. cap. 2: *cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primo providendum est, ne male distinxerimus, aut pronuntiaverimus; cum ergo adhibita intentio incertum esse providerit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis* (de hoc §. III.) *et ecclesiae auctoritate* (de qua §. II.) *percepit* ... *iam nunc exempla considera: illa haeretica distinctio:* In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat. *Ut alius sensus sit:* Verbum hoc erat in principio apud Deum. *Non vult Verbum Deum confiteri. Sed hoc regula fidei refellendum est, qua nobis de Trinitatis aequalitate praescribitur, ut dicamus:* et Deus erat Verbum, *deinde subiungamus:* hoc erat in principio apud Deum.

Aliud exemplum suppeditavit novus Arianus Michael Servet, dum libro secundo trium illorum, quos blasphemo titulo *de errore Trinitatis* inscripsit, delere conatus est clarissimum pro divinitate Christi testimonium, quod habetur Rom. 9. 5. *ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula amen.* Hunc enim locum sibi fatalem animadvertens, unicum punctum interponendo, adulterat, declinatque, dum legendum esse praetendit hoc modo: *ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia. Deus benedictus in saecula amen.* Ut illa: *Deus benedictus*

in saecula amen, non sint ad Christum referenda; sed novum faciant sensum, et sint quaedam laus divina atque gratiarum actio.

Dum *vero* (Aug. supra) *distinctionis ambiguitas neutra parte resistit fidei, textu ipso sermonis diiudicanda est*, vel originalis linguae inspectione. Vulgata Act. 1. 13: *cum introissent in caenaculum, ascenderunt ubi manebant, etc.*: videtur ibi mendose poni comma ante *ascenderunt*, quod potius ponendum esset post *introissent*, tum quia graeca habent: καὶ ὅτε εἰσῆλθον ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον, οὗ. *et cum introissent ascenderunt in superioris domus partem, ubi manebant;* tum quod ingressis *coenaculum* non fuerit altius ascendendum; utpote quo tantum ascenderunt, et in quo manserunt. Istud Eccli. 24. 19. *Quasi platanus exaltatus sum iuxta aquas in plateis sicut cinnamomum et balsamum*, merito in correctis impressum est ita, ut post *in plateis* ponatur punctum, non ut sit initium versus 20. *In plateis sicut cinnamomum*, prout varii legunt, et etiamnum recitatur in officio B. V. Mariae. In plateis non cinnama et balsama plantantur, sed platani.

Pergit S. Aug. *Ubi autem neque praescripto fidei*, neque ex originali lingua, neque aliunde *ambiguitas explicari potest, nihil obest secundum quamlibet earum quae ostenduntur, sententiam distinguere, veluti est illa ad Corinthios* 2. cap. 7. 1: *mundemus nos ab omni coinquinatione* (seu *inquinamento*, ut modo legitur) *carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini. Dubium quippe est, utrum: mundemus nos ab omni coinquinatione carnis et spiritus, secundum illam sententiam: ut sit sancta corpore et spiritu; an: mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, ut alius sit sensus: Et spiritus perficientes sanctificationem*

Illa Ioan. 1. 3, *sine ipso factum est nihil quod factum*

est, etc. interpungi possunt post vocem *nihil*, ita: *sine ipso factum est nihil. Quod factum est*, etc. Qualiter legit Augustinus variis locis; item Athanasius, Cyrillus, Tertull., Beda. Ut sensus sit q. d. sic omnia per verbum facta sunt, ut nulla creatura sit, quae per verbum facta non sit. Si vero verba continues, et punctum colloces post *quod factum est*, habebunt illa verba alium sensum verum, nempe: sine Verbo omnia conservante, quidquid factum est, in nihilum, ex quo eductum est, recidere. Ita legunt et intelligunt Hieronymus, Nazianzenus, Chrysostomus, qui hom. 4. in Ioan. ait: *Cum dixerimus: sine ipso factum est nihil, non perfecto id puncto notabimus, ut haeretici opinantur.* Ubi nota non sentire Chrysostomum haereticam esse lectionem illam, quae post *nihil* punctum ponit, sed tantum illam reiicit, quod illa abuterentur Macedoniani, per haec: *Quod factum est in ipso vita erat*, intelligentes Spiritum S. quem dicebant factum, adeoque non esse Deum.

2. Cor. 4. 4. *in quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium*: Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus illud *huius saeculi*, iungunt cum voce *infidelium*, q. d. Deus excaecavit mentes infidelium mundanorum. Alii cum Cyrillo legunt, ut vox: *huius saeculi*, sit epitheton *Dei*, ut *Deus huius saeculi* intelligatur diabolus, qui vocatur Ioan. 12. 31. cap. 14. 30. cap. 16. 11. *princeps huius mundi.*

Circa illas interpunctiones notandum, quod in Vulgata rectius poneretur Ioan. 7. 21, *omnes miramini propterea*, seu *propter hoc*, ut est in graeco, quam quod modo punctum ponatur post *miramini*, et versus 22. incipiat: *propterea Moyses dedit vobis circumcisionem.* Similiter Num. 15. 5, optarem punctum ante vocem *per* auferri, quod ibidem indebite collocatum, sensum

perturbat, ponendum autem erat absoluto versu.

Versus ultimus capitis XIII. libri Danielis: *et rex Astyages,* etc. in multis codicibus merito ponitur primus capitis XIV; nam mors Astyagis ad historiam capite 14, relatam spectat, non vero ad historiam Susannae, quam unicam tractat cap. 13. E contra initium, seu primus versus capitis xi. libri Esther, est vere ultimus capitis x. et ipse finis totius libri, vel potius appendix quaedam, ut ex graeco textu constat. Primus versus Aggaei 2. congruentius collocaretur ultimus capitis 1.

Pro nunc dictis scire convenit Scripturam ab hagiographis, hoc est sacris auctoribus suis, nempe prophetis, apostolis, evangelistis primitus esse conscriptam sine ulla divisione capitum, aut versuum; imo sine ullis prorsus interpunctionibus, id quod apud omnes doctiores pro comperto habetur; divisio autem, quae modo in Vulgata spectatur capitum versuumque, arbitraria est, quam ecclesia nunquam approbavit, sed ea, commoditatis gratia utitur. Idem cum proportione dicendum de interpunctionibus.

Capitum divisio nunc usitata, facta est circa annum Christi 1200. Tribuitur haec a plerisque Hugoni de s. Caro dominicano, qui obiit post annum 1260. Balaeus tamen 3. Cent. 87. auctorem illius facit Stephanum Langtonum, quem Innoc. iii. cardinalem creavit anno 1207. Saltem verum esse nequit, quod Leander a s. Martino hanc divisionem factam scribit ab Hugone et Conrado Halberstadio circa annum 1254; quandoquidem ista capitum distinctio reperiatur in Bibliis manuscriptis bibliothecae nostrae Lovaniensis, quorum tres codices successive scripti sunt (ut in illis eodem scriptoris charactere adnotatur) anno 1237, 1238, 1239.

Versuum distinctio et adnumeratio multo recentior

est quippe quae non reperiatur in ullis Vulgatae codicibus ante annum 1540. Quo anno ita Vulgatam edidit Vatablus, ac post eum commoditatis gratia reliqui hactenus. Iudaei tamen hac versuum divisione ac numero prius usi sunt ex industria R. Isaac Nathan, ut patet ex eius concordantiis hebraicis absolutis anno 1445. quae habentur in bibliotheca nostra lovaniensi impressae Venetiis typis Bombergianis anno רפד (ut in frontispicio earum notatur) hoc est 284. post 5000, ut Iudaei computant, ab exordio mundi qui annus 5284. coincidit cum anno aerae christianae 1524. Iudaei enim complent annum mundi 5000, cum anno christiano 1240.

§. 9. ATTENDE UT RECTE PRONUNTIES

Multa in scripturis sunt, quae nisi proprio modo pronuntientur, in contrariam recidunt sententiam, inquit cap. 4. Concil. aquisgranense celebratum anno 816; v. g. si affirmative legantur, quae interrogative pronuntianda sunt: *sicuti est* (subdit idem Conc.): *quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat? Quod, si confirmative, non servato genere pronuntiationis suae dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceret: Deusne qui iustificat? subauditur: non.* Unde Aug. lib. 3. doctr. christ. cap. 3: *quae de ambiguis distinctionibus diximus, eadem observanda sunt et in ambiguis pronuntiationibus, nam et ipsae . . . . aut regulis fidei corriguntur, aut praecedentis vel consequentis contextione sermonis, aut si neutrum horum.... dubiae remanebunt, ut quolibet modo lector pronuntiaverit, non sit in culpa... Quae praedico vobis, sicut praedixi etc.* (Gal. 5. 21.) *si tantummodo dixisset: Quae praedico vobis, neque subiunxisset: sicut praedixi; non nisi ad codicem praecedentis linguae*

recurrenaum esset, ut cognosceremus, utrum in eo quod dixit: praedico, producenda, an corripienda esset media syllaba; nunc autem manifestum est producendam esse; non enim ait: sicut praedicavi, sed; sicut praedixi. Item 2. Cor. 3. 6. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Illud *vivificat* indicat mediam in *occidit* producendam esse.

§. 10. TOTUS TEXTUS CONSIDERANDUS EST

Textus ipse sermonis a praecedentibus, et consequentibus partibus... restat consulendus, ut videamus cuinam sententiae de pluribus quae se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur. Aug. lib. 3. doctr. christ. cap. 2. Nam, ut idem cap. 4. *Circumstantia ipsa sermonis cognoscitur scriptorum intentio.* Ideo cum Hieronymo in cap. 25. Matth. *prudentem admoneo lectorem, ut consideret priora media, et sequentia, et nectat sibi universa, quae scripta sunt. Ut ex praecedentibus et sequentibus possint intelligi media.* Idem epist. 150. Nam, ut ait in Matth. 5. 25. *Ex consequentibus et praecedentibus saepe manifestus est sensus.* Exempla habes §. praeced. Adde Act. 21. 20: *aemulatores sunt legis*, ubi circumstantiae, et sequentia clare demonstrant legem mosaicam intelligi, non evangelicam. Sic etiam Matth. 16. 6, *cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum:* contextus praesertim V, 12, manifestat per *fermentum* intelligi doctrinam.

§. 11. SCOPUS ET CIRCUMSTANTIAE SPECTANDAE

Cyrillus Alex. lib. 8. thesauri cap. 2. ait: *quando locum Scripturae aliquem recte intelligere volumus, tria diligenter consideranda sunt: tempus quando scriptum est, quod dicitur: persona quae dicit, vel per quam, aut res propter quam, aut de qua scribitur. Sic enim absque errore*

sensum poterimus verum investigare. Hilarius lib. 4. de trin. *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi.* Etenim ut Chrysost. in 1. Corinth. 15. hom. 39: *primum omnium oportet scopum Pauli*, et aliorum *considerare, et consilium; mox quaestionem solvere; nam istud ad solutionem vehementer conducit.*

His docent patres multum conferre ad rectam intelligentiam alicuius loci, si attendatur scopus et obiectum scribentis; inde etenim colligenda est mens et intentio, ac consequenter verus sensus verborum illius. Reflectendum proinde quorsum, quibus, contra quos, ex cuius persona loquatur aut scribat. Sic dum Paulus taxat Galatas legis veteris ritibus addictos, solum intendit in illis castigare, quod legalia ad salutem necessaria crederent, et eo animo practicarent; cum eadem ipse Paulus non raro, sed alio spiritu ac fide observaverit.

§. 12. SCRIPTURA INTELLIGENDA UT SONAT, NISI QUID OBSTET

Si proprie sonat, nulla putetur figurata locutio. Aug. lib. 3. doct. christ. c. 15. Unde (ut ibid. cap. 10.) *Huic observationi qua cavemus figuratam locutionem quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est: ne propriam quasi figuratam velimus accipere.* Cap. 16. *Si praeceptiva locutio est aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata.* Regulam hanc unanimiter omnes tradunt, unde est istud famosum axioma: *Scriptura est intelligenda ut iacet, nisi aliquid obstet.* Hoc maxime locum habet in Scriptura historica, et satis per se patet ex natura institutionis vocum, ac regulis acceptionis earum. Hinc recte deducimus mundum non uno instanti, sed sex dierum spatio a Deo

perfectum esse; nam sic ad litteram sonat tum textus Genesis, tum alia loca, nec aliquid cogit haec figurate, seu metaphorice interpretari. Hinc regulariter proprie sumenda est significatio vocis, item vis particularum, adverbiorum, coniunctionum, v. g. harum: *et*, *sed*, *quia*, *si*, *ergo*, *etc.*

§. 13. QUAEDAM SUNT METAPHORICE EXPONENDA

Cavendum ne figuratam locutionem ad litteram accipias (id est crude, ut verba sonant, seu grammaticaliter, et mere secundum corticem verborum): *ad hcc enim pertinet, quod ait apostolus: littera occidit, spiritus autem vivificat; cum enim figuraliter* (hoc est metaphorice) *dictum, sic accipitur, tamquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur.* Aug. lib. 3. doct. christ. cap. 5. Ratio huius regulae clara est, quia in figuratis locutionibus, ordinarie verba secundum corticem, et ut iacent, accepta, sensum falsum aut absurdum habent, v. g. dum Christus dicitur *leo*, *lapis*, *vitis*, *agnus*, quem proinde sensum non intendit Spiritus S., sed illum, quem talia verba metaphorice accepta significant. Generaliter tunc verba sunt metaphorice accipienda, quando ex illis proprie, sive ut iacent intellectis, sensus falsus, impius, aut absurdus sequeretur, et (ut Aug. supra cap. 16.) *si praeceptiva locutio est, et flagitium, aut facinus videtur iubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.*

§. 14. PROPTER UNUM METAPHORICUM VERBUM, TOTA NARRATIO NON EST METAPHORICA

Nec tamen ideo propter unius verbi translationem, totum figurate accipiendum est. Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 31. ubi duplex allegat exemplum. Gen. 5. 7: *aperti sunt oculi amborum*, Adami et Hevae. Hoc indubie me-

taphorice intelligendum est, cum antea non fuerint caeci, aut clausos continuo habuerint oculos: non tamen propterea tota illa historia est per metaphoram explicanda. Idem dicendum de Luc. 24. 31: *aperti sunt oculi eorum*, discipulorum in Emmaus. Sic etiam, quamvis sit aliqualis metaphora in forma consecrationis sanguinis Christi, scilicet *calix sanguinis;* non tamen ideo tota illa forma, aut Scriptura hanc referens, est metaphorice intelligenda.

§. 15. UNUS LOCUS POTEST HABERE PLURES SENSUS

Non est inconveniens, ut dicit Aug. 12. confess. si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus. S. Thomas 1. p. q. 1. art. 10. Quapropter dum idem Scripturae locus, omnibus spectatis, patitur diversas explicationes seu sensus; praesertim quando sic diversis sensibus sumunt, et explicant patres aut probati auctores: omnes illi possunt admitti tamquam legitimi sensus istius loci, dummodo inter se non pugnent quoad veritatem, et *possint salva litterae circumstantia Scripturae aptari*, ut idem s. Thomas q. 4. de potent. art. 1. Haec regula fundatur in eo, quod unus idemque Scripturae locus possit habere, imo saepe habeat plures et multiplices sensus veros, etiam valde disparatos, omnes intentos a Spiritu S.

Sic illa Isa. 53: *generationem eius quis enarrabit?* aliqui de aeterna Christi ex Patre generatione interpretantur, alii de nativitate eius ex Virgine Maria, alii de resurrectione illius, quae est nova, seu regeneratio, aliqui de generatione activa Christi generantis fideles, seu filios Dei. Verosimiliter has omnes generationes per unum illud verbum indicavit Spiritus S. Certe de utraque priori exponit s. Leo serm. 9. de Nativ. *In Christo*

Iesu filio Dei, non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est: generationem eius quis enarrabit?

§. 16. VOX ORIGINALIS LINGUAE, PLURA SIGNIFICANS, ALIQUANDO A VARIIS VARIE TRANSFERTUR

In omnibus quidem linguis, sed maxime in hebraea, tum propter verborum exiguum numerum, tum propter vocalium litterarum in scribendo defectum, voces, praesertim scriptae, saepissimae sunt aequivocae, seu potius multivocae, sic ut idem nomen vel verbum frequenter multa, etiam valde disparata significet. Ex hoc non raro natae sunt diversae diversorum interpretum, vel etiam eiusdem, sed diverso tempore, vel loco, interpretationes, dum quisque multivocam vocem transfert, prout sibi convenientius apparet. Tunc autem omnes illae diversae interpretationes, seu sensus (modo non sint sibi adversi) vere possunt esse intenti a Spiritu S. iuxta dicta §. praeced.

Per hanc regulam se excusat Hieronymus lib. 1. Apol. contra Ruffinum, qui ei exprobraverat, quod pro eo, quod LXX transtulerant ps. 2. *apprehendite disciplinam*, ipse in commentariis vertisset: *osculamini filium.* Item: *adorate filium.* Nihilominus postea vertendo Psalterium transtulisset: *adorate pure.* Nam in hebraeo est נשקו־בר *nasscheku-bar:* hoc autem omnia illa significat, nam *nasscheku* est: *apprehendite, osculamini, adorate. Bar* vero significat tam *purum*, quam *filium*, et *disciplinam.* Vulgata habet ps. 17. 6. *dolores inferni*, at 2. Reg. 22. 6. *funes inferni*, cum tamen utrobique sit idem psalmus, et in hebraeo eadem verba חבלי שאול *cheble scheol;* sed חבל *chebel* tam *funem*, quam *dolorem* significat.

Ex hoc principio oritur, quod saepe differant (quamvis

equidem sibi non contradicant) translatio Hieronymi, et versio graeca, sive illa quae est LXX interpretum, sic ut equidem quaelibet verum sensum habeat, etsi non omnem adaequate; sed hunc Hieronymus, illum LXX, Deo per vocem vel orationem multivocam intendente, atque asserente utrumque. Patet istud ex duplici exemplo iam allegato, et aliis adductis §. VI.

§. 17. HEBRAEA NOMINA SAEPE SUNT GENERICA; INDE DIVERSI DIVERSAS SPECIES TRANSFERUNT

Hebraea nomina animalium, arborum, lapidum etc. saepe sunt generica, pluribusque communia, neque semper apud Graecos Latinosque extant nomina aeque generalia, ex quo factum est, ut unum idemque nomen hebraeum a diversis interpretibus, vel etiam ab eodem diversis locis, diversimode sit translatum. Sic תנין *tannin* vocant Hebraei quidquid in bestiis monstrosum est, praesertim magnitudine. Haec vox transfertur in Vulgata Gen. 1. 21. *cete.* Exod. 7. 9. *coluber.* Deuter. 32. 33. *draco.* Isaiae 13. 22. *sirenes.* Thren. 4. 3. *lamia.* Eadem vox a LXX vertitur passim *draco*, saepius, *struthio*, aliquoties *sirenes.* At Isa. 13. 22. *eshinus*, hoc est *herinacius.*

Hebr. לה *ela*, vel אלון *elon* vocant omnem glandiferam arborem: hanc vocem tam Vulgata, quam LXX vertunt nunc *quercum*, nunc *ilicem*, nunc *terebinthum*, LXX. etiam *castaneam. Tsina* צינה quod videtur esse commune armorum nomen, in Vulgata transfertur 3. Reg. 10. 16. *scutum.* Ezech. 23. 24. *lorica.* Ezech. 26. 8. *clypeus.* Ezech. 38. 4. *hasta.* Amos 4. 2. *contus.* Cum enim interpretes non invenirent apud Graecos aut Latinos voces tam late patentes, satis illis fuit transferre unam

aliquam speciem, quam magis familiarem, magisque loco suo, quem transferebant, convenientem iudicabant. Vide §. seq.

§. 18. IGNOTAE RERUM SPECIES ALIQUANDO PER NOTAS TRANSFERUNTUR

Quia apud Hebraeos quaedam erant animalium, arborum, aut aliarum rerum species, quae apud Graecos aut Latinos non reperiebantur, atque adeo apud ipsos nomine carebant; interpretes in sua versione ipsum hebraeum nomen subinde retinuerunt, ut in Exodo passim ligna *setim;* item *hin*, *gomor*, *satum*, *cabus*, *ephi*, quae Hebraeorum erant mensurae propriae, neque apud alias nationes reperiebantur, quae eiusdem praecise essent quantitatis.

Frequenter tamen, ne ignotam lectoribus vocem obtruderent, maluerunt graecam aliquam, latinamve vocem usurpare, quae speciem affinem, et hebraeae similem significat; v. g. pro mensuris iam dictis transtulerunt aliquoties *modium*, *sextarium*, *amphoram*, *etc.* Quia vero diversi diversas proprietates in ignotis illis speciebus attenderunt, in quibus cum notis suis similitudinem habebant; hinc diversi, aut idem diversis locis, idem hebraeum nomen diversimode transtulerunt. Sic arborem et ligna *Setim* LXX passim vertunt: *lignum imputribile.* Hieronymus in Vulgata ipsum nomen hebraeum passim retinuit; at Isa. 41. 19. et Ioel. 3. 18. transtulit *spinam;* alii ubi hoc nomen in hebraeo occurrit, vertunt: *buxum*, alii *cedrum*, alii *lentiscum.* Cum tamen nullum horum sit, teste ipso Hieronymo in Isaiae 41. Mich. 6. Ioel 3, sed omnibus his ratione diversarum proprietatum simile.

Ionae 3. herbam קִיקָיוֹן *k'kaion* transtulerunt LXX.

cucurbitam. Hieronymus: *hederam;* cum tamen neutrum sit, sed aliqualiter utrique similis herba Palaestinae propria. De illa Hieronymus in Ion. 3. et epist. 89. ad Augustinum: *ubi LXX interpretes cucurbitam, et Aquila cum reliquis hederam transtulerunt, in hebraeo volumine kikaion scriptum est. Eo tempore quo interpretabamur prophetas, voluimus id ipsum hebraeae linguae nomen exprimere, quia sermo latinus hanc speciem arboris non habebat; sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi, et vel bestias Indiae, vel montes Baeotiae, aut istiusmodi quaedam portenta confingerent; secutique sumus veteres translatores, qui et ipsi hederam transtulerunt; aliud enim quod dicerent, non habebant.*

Ezech. 27. 16. materialem vocem כדכד *Chodchod* retinuit interpres Vulgatae; ast Isaiae 54. 12, transtulit *iaspidem*, secutus LXX, qui et hic *Iaspidem* verterunt, et ibi materialem vocem transcripserunt, licet *pro* ד *d* legisse videantur litteram simillimam ר *r*, cum habeant *chorchor*, vel saltem *d* in *r* mutarunt, ut barbaram, seu graecis inusitatam vocis *chodchod* terminationem vitarent, quod iidem translatores graeci, in multis aliis nominibus fecerunt.

Hieronymus epist. 135, ad Suniam et Fretellam docet Iudaeae singulare animalculum esse שפן *schaphan, non maius hericio, habens similitudinem muris et ursi.* Pro eo equidem in Vulgata est Levit. 11. 5. *chaerogryllus*, hoc est, *rupium porcellus*. Proverb. 30. 16. *lepusculus*, ps. 103. 18. *herinacius*, seu *hericius*, prout etiam ibi transtulit Hieronymus.

Qui, ubi alibi hebraeum aliquod nomen transcribit aliquando quidpiam addidit, ut non penitus ignotum maneret, v. g. Ierem. 2. 22: *si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam, borith*, de suo addidit illud: *her-*

bam, ut sciremus aliqualiter quid sit *borith*. Ideo etiam ibidem LXX omiserunt vocem *borith*, simpliciter transferentes ; *si multiplicaveris tibi herbam*.

§. 19. IDEM VERBUM IN DIVERSIS LOCIS QUANDOQUE CONTRARIA SIGNIFICAT

Una eademque locutionis forma, diversis locis usurpata, aliquando diversam, imo et contrariam habet significationem. Sic *portare iniquitatem*, modo significat ignoscere, aut veniam impetrare, ut 1. Reg. 15. 25. Exod. 28. 38. Levit. 10. 17. E contra saepe idem valet, ac puniri pro peccato, ut Levit. 17. 16. Levit. 24. 15. Idem contingit in figuris antiphrasi, catachresi, ironia, quibus etiam Scripturam uti, patebit infra.

§. 20. SCRIPTURA REFERT MULTA ALIORUM DICTA, QUAE NON APPROBAT

Non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur, considerandum est in sancto libro quolibet; quoniam multa a Iudaeis, aliisque falsa et impia dicta esse, verax Evangelii, et aliorum librorum, Scriptura testatur. August. contra Priscil. cap. 9. Solerter proinde est advertendum, quaenam Scriptura tantum refert alios dixisse, quaenam vero simpliciter asserit, vel relata probat, aut improbat: inde enim pendet, an et qualiter sit assentiendum dictis hominum in Scriptura relatis; aliter namque quis facile graviter aberrare posset a vero Scripturae sensu illique contrarium et falsum attribuere, accipiendo pro infallibili verbo Dei, quod solummodo est fallibile, imo forte falsum, verbum hominis.

Hinc s. August. supra: *quando probari nobis aliquid volumus testimonio sanctorum eloquiorum, non nobis dicatur credendum esse, etiam quod in Evangelio scriptum*

est, si forte evangelista eum hoc dixisse commemorat, cui fides habenda non est; nam dictum est illic a Iudaeis: Nonne verum dicimus nos, quia Samaritanus es, et daemonium habes? quam vocem tanto amplius detestamur, quanto nobis Christus est carior; emissam tamen a Iudaeis dubitare non possumus, qui evangelicam narrationem verissimam credimus. Ita nec evangelistae derogamus fidem scribenti, et iudaei vocem blasphemantis execramur. Quia vero Scriptura saepe ista, quae ab aliis dicta refert, nec probat, nec improbat, hinc etiam saepe manet incerta talium dictorum veritas et auctoritas.

§. 21. IUXTA VULGI ERROREM QUANDOQUE LOQUITUR SCRIPTURA

Scriptura quandoque loquitur secundum Vulgi opinionem; non autem prout res in se est: tunc vero tantum relative procedit, sed tacito nomine loquentis, seu vulgi, et subintelligendum est: *ut passim tunc putabatur*, vel quid simile. Tradit hanc regulam Hieronymus in Ierem. 28: *multa in Scripturis sanctis dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quae gesta referuntur, et non iuxta id quod rei veritas continebat.* Sic (ut ibidem notat) Ierem. 28. *Ananias* vocatur *propheta*, et in Evangelio *Ioseph pater* Christi.

Idem in Matth. 14. *consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur; sicut Ioseph ab ipsa quoque Maria appellabatur* Luc. 2. *pater Iesu. Ita et Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant.* Matth. 14.

Ad illa Luc. 2. *Iesus proficiebat sapientia*, Bernard. hom. 2. super *Missus est: quod de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod*

apparebat, intelligendum est. Aliqui opinantur non aliter Stephanum dixisse Act. 7. 4: *inde postquam mortuus est pater eius, transtulit, etc.* Certe de dictis ibid. ℣. 16. ait ven. Beda: *B. Stephanus vulgi in dicendo sequitur opinionem.* Act. 24. 24. *Drusilla* dicitur *uxor Felicis*, et quidem *sua*, cum tamen vere eius esset concubina, et adultera, ut colligitur ex Tacito lib. 5. et Iosepho lib. 20. Antiquit. cap. 5.

Abrahamo Gen. 18. 2. *apparuerunt tres viri*, qui et dicuntur *comedisse*, cum tamen angeli fuerint; sed prius putabat Abraham homines esse, atque *comedere*. 1. Machab. 12. 50. *cum cognovissent, quia comprehensus est Ionathas et periit;* nempe occisus putabatur, qui tamen adhuc vivebat, ut patet ibid. cap 13. 12.

§. 22. SCRIPTURA USURPAT NOMINA E GENTILIUM FABULIS

Scriptura (praesertim in textibus translatis) usurpat subinde nomina e gentilium fabulis petita: *quod si quis contradicit* (ait Hieron. in Gal. 3.) *exponat quomodo de communi opinione sit sumptum vallis titanorum in regnorum libris* (2. Reg. 23. 13. iuxta LXX.) *Syrenae, et Onocentauri* in Isaia 34. 14. *arcturus, et orion, et pleiades* in Iob. 9. 9. et cap. 38. 31. *Et cetera his similia, quae utique vocabula, gentilium fabularum et causas et origines habent.* Tale, ut ibidem notat, est etiam illud Gal. 3. 1: *quis vos fascinavit? non quo scierit*, inquit, *fascinum, qui vulgo putatur nocere, sed usus sermone sit trivii, et ut in caeteris, ita et in hoc quoque loco, verbum quotidianae sermocinationis assumpserit.* Eadem phrasi dicitur Iob. 21. 33. *dulcis fuit glareis cocyti.* Iudith. 16. 8. *fili titan.* psal. 57. 5: *sicut aspidis surdae et obturantis aures suas, quae non exaudiet vocem incantantium etc.*

§. 23. ADFERT SCRIPTURA SIMILITUDINES A REBUS FICTIS

Plurimas adfert Scriptura similitudines vel fictas, vel vulgo putatas; ut in apologo Ioatham Iudic. 9. 8. *ierunt ligna, ut ungerent super se regem, etc.* Exod. 19. 4. *vos vidistis quomodo portaverim vos super alas aquilarum,* hoc est, sicuti putantur aquilae volare positis in dorso pullis suis. Sic multa proponuntur a Christo quasi exempla et historiae, quae forte res gestae non sunt, sed merae parabolae, ut de pharisaeo et publicano orantibus Luc. 18. De samaritano curante seminecem Luc. 10. de filio prodigo Luc. 15. de epulone et Lazaro Luc. 16. de divite cui dictum: *stulte, hac nocte animam tuam repetent a te.* Luc. 12. Haec tamen, aut quaedam illorum, iuxta aliquos fuerunt verae historiae.

§. 24. SCRIPTURA NON APPROBAT ILLUD UNDE SIMILITUDINEM TRAHIT

Non undecumque datur similitudo, a scripturis laudatur ipsa res, sed tantum inde similitudo trahitur; non enim laudavit iniquum iudicem, qui nolebat audire illam viduam, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur (Luc. 18.) *et tamen inde similitudinem Dominus traxit: nec illum laudavit pigrum, qui tres panes non propter amicitiam dedit petenti, sed taedio victus, et tamen inde similitudinem dedit* Luc. 11. *Et de rebus ergo non laudandis, trahuntur secundum quemdam modum nonnullae similitudines.* Ita S. Aug. ad illa ps. 57. 6: *venefici incantantis sapienter.* Sic etiam non approbatur factum *villici iniquitatis*, seu oeconomi iniusti, quamvis astutia eius in bonum proponatur imitanda Luc. 16.

§. 25. UTITUR SCRIPTURA HIEROGLYPHICIS ET AENIGMATIBUS

Usitatum est Scripturae proponere hieroglyphica, symbola, aenigmata. Plura habentur Eccle. ult. quae mortem repraesentant. Minatur Ieremias cap. 25. 38, *iram columbae,* quae iuxta multos designat iram, invasionemque Chaldaeorum, in quorum labaris, seu vexillis depicta erat columba argentea pennis deauratis, designans Semiramidem, iuxta ps. 67. 14: *pennae columbae deargentatae.* Sic Danielis 4: per aenigma *arboris* describitur imperium Nabuchodonosor. cap. 7. monarchiae 4. per *quatuor bestias.* cap. 8. *per hircum et arietem,* Alexander et Darius. Similibus repleti sunt prophetae, et apocalypsis. Huc etiam spectat aenigma nominis bestiae seu antichristi cuius nominis *numerus* dicitur Apoc. 13. 18. *sexcenti sexaginta sex.*

§. 26. PARABOLARUM SCOPUS SPECTANDUS EST, NEC DEBENT ILLAE QUOAD OMNES PARTES APPLICARI

Ad illa Matth. 20. 11. *et accipientes murmurabant adversus patrem familias,* ait Chrysost. hom. 65. *In parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi; sed cum quid per parabolam intendatur didicerimus, inde utilitate collecta, nihil est ulterius anxio conatu investigandum.* Finis proinde ac scopus spectari debet, et applicari; caetera vero persaepe ad parabolae, seu similitudinis ornatum, atque elegantem gratamque propositionem solummodo adduntur. Hanc regulam valde notandam tradit etiam Aug. lib. 16. civ. c. 2. *In prophetica historia dicuntur aliqua, quae nihil significant, sed quibus adhaerent ea quae significant.*

Igitur in parabolis non praecise personae personis,

nec partes parabolae partibus rei significatae; sed tota parabola toti rei aut sententiae comparanda est: nam similitudo non currit quatuor pedibus, ut vulgo dicitur, et notavit Lyranus ad parabolam de villico iniquitatis Luc. 16. Monet proinde Basilius in regulis brev. inter. 254. *Sane, quae afferuntur similitudines, nequaquam eae omnino singulis earum rerum ad quas allatae sunt, partibus respondent; sed illud agunt, ut mentem ad id, de quo agunt, argumentum dirigant.* Sic Matth. 18, per parabolam de servo immiti, non significatur peccata semel remissa, per subsequens mortale reviviscere; sed Deum non remittere peccata illius, qui ex corde non remiserit proximo suo a quo forte offensus est.

§. 27. IN COMPARATIONIBUS FREQUENTER TACETUR NOTA SIMILITUDINIS

In similitudinibus seu comparationibus saepissime deest particula comparativa, seu nota similitudinis, sed subauditur. Sic Proverb. 16. 24, *favus mellis composita verba.* Ps. 44. 2, *lingua mea calamus scribae.* Deuter. 4. 20, *eduxi vos de fornace ferrea Aegypti.* Exod. 19. 4, *portavi vos super alas aquilarum*, ubi LXX: *portavi vos quasi super, etc.* 1. Cor. 13. 1, ubi in graeco est: *factus sum aes sonans*, noster interpres interposuit claritatis causa: *velut.*

Sic etiam intelligendum illud 1. Reg. 13. 1. *filius unius anni erat Saul*, hoc est, instar unius anni puerulus mitis, innocens, humilis. Numer. 23. 10. *quis dinumerare possit pulverem Iacob?* id est, populum Israel, seu posteros Iacob instar pulveris numerosissime multiplicatos. Num. 24. 7. *fluet aqua de situla eius.* Hoc est, copiosissimam habebit prolem de parentibus gignendam tam facile tamque abundanter, quam de situla, seu hy-

dria plena effunditur aqua. Illud psal. 67. 31: *increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum,* multi per hanc regulam exponunt hoc modo: increpa tyrannos, qui sicut ferae in arundineto, et sicut tauri in grege vaccarum strepitum excitant et horrorem; ita ipsi faciunt in congregatione populi sibi subiecti.

§. 28. RES EADEM QUANDOQUE EST FIGURA CONTRARIORUM

Sanctus August. serm. 197. de temp. *In scripturis divinis una eademque persona*, aut etiam res alia, *prout tempus et locus fuerit, diversam*, imo et adversam, *significationem habere potest: nam beatus Isaac, quando a patre oblatus est, Christum Dominum figuravit; cum vero filio suo Iacob benedixit, Dei patris imaginem gessit*, atque adeo una eademque res subinde figura est duorum contrariorum, sed alio, et alio respectu. De hoc ita s. Bonav. in Luc. 13. 21. *Aug. lib.* 3. *de doctr. christ. cap.* 25. *quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse praescriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus; nam et in vituperatione fermentum posuit Dominus, cum diceret: cavete a fermento Pharisaeorum.* Matth. 16. 6*; et in laude, cum diceret: simile est regnum coelorum mulieri, quae abscondit fermentum.* Luc. 13. 21. *huiusmodi autem, ut dicit, multa sunt similia in Scriptura*; *sicut leo Christum significat* Apoc. 5. 5. *vicit leo de tribu Iuda; et diabolum* 1. Petr. 5. 8. *diabolus tamquam leo rugiens; sic et alia plura sunt, cuius diversitatis causa est multiplicitas proprietatum, ex quibus diversitas similitudinum, et repraesentationum oritur in scriptura.* Sic Christus dicitur *leo* propter fortitudinem, diabolus autem *leo* propter crudelitatem et rapacitatem.

§. 29. SUBINDE A FIGURA AD FIGURATUM TACITE SCRIPTURA TRANSIT ET FIGURAE NOMEN TRIBUIT FIGURATO

Aliquando Scriptura subito transit a figura ad rem figuratam, idque in eodem contextu sermonis et quasi imperceptibiliter, ut a Salomone ad Christum, cuius Salomon figura fuit; a Sion, et Ierusalem ad ecclesiam novi testamenti; ab Israel carnali, ad spiritualem, seu populum christianum. Sic etiam Isaias cap. 11. 1. et 2. a *flore* ad Christum, cap. 7. a liberatione facta tempore Achaz, ad liberationem per Christum futuram. Quin et ipsum nomen figurae tribuitur quandoque rei figuratae. Sic psalm. 71. (praesertim in titulo *in Salomonem*) Christus eiusque regnum spirituale describitur per regnum et personam, ac nomen *Salomonis filii regis* David. Item Christus saepe vocatur *David*, signanter Ezech. 34. 23. *suscitabo super eas* oves meas *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David.* Vide etiam cap. 37. 24. et 25. Item Ierem. 30. 9. Eccli. 24. 34. Osee 3. 5.

§. 30. QUANDOQUE DE UNA PERSONA AD ALIAM TACITUS EST TRANSITUS

Sanctus Greg. hom. 7. in Ezech. *consuetudo prophetae est, nunc ista, nunc illa conspicere, et ab aliis in aliud subito verba derivare, sicut psalmista* ps. 7, *cum de Domino loqueretur, dixit: Deus iudex fortis et patiens etc., repente subiungit: concepit dolorem, et peperit iniquitatem, etc. Ecce cum Domini enarrat iustitias, repente peccatoris intulit culpam. Quod unum me exempli causa dixisse sufficiat, quia quisquis in prophetis usum lectionis habet, quam crebro ista faciant, non ignorat:* est enim

iste transitus frequentissimus in psalmis et prophetis, qui et continuo occurrit in Cantico Canticorum, quod totum est dialogus, imo *drama*, inter sponsum et sponsam, atque sodales utriusque.

§. 31. SUB FIGURA CORPORALIUM ET TEMPORALIUM, SAEPE PROMITTUNTUR SPIRITUALIA ET AETERNA

Magnalia quae de Messia seu Christo et de populo Israel praedicuntur, spiritualiter potius sunt intelligenda de Christo et ecclesia, quam corporaliter et de synagoga; v. g. circa divitias, gloriam, victorias, etc. Tradit hanc regulam Hieronymus in Isa. 30. 19, *nos, ut saepe iam diximus, omnes* prophetarum *promissiones, quae excedunt mediocritatem istius temporis, ad Christi referamus adventum.* Est hoc bene notandum contra Iudaeos, et satis patet ex eo, quod sicuti Christus in aliquibus prophetiis praedicitur futurus dives, potens, gloriosus; ita alibi, praesertim in Isaia, scribatur futurus despectus, afflictus, pauper, novissimus virorum.

Sic etiam Christus praedicitur omnes debellaturus, occisurus, etc., quia futurum erat, ut totum mundum subiugaret fidei, omniumque mores et vitia occideret; atque ita quasi antiquos homines interficeret, novosque efficeret. Sic Christus prostravit, devicit, occidit Saulum, et fecit inde *Paulum*, qui inde de seipso ait Gal. 2. 20: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Sic monemur 1. Petr. 2. 24, *ut peccatis mortui, iustitiae vivamus.* Vide totum cap. 6. ad Romanos. Eodem sensu dictum est Petro gentes conversuro Act. 10. 13: *occide, et manduca;* nam, ut exponit Bonavent. in ps. 119. *id est: occide vitia et fac hominem de corpore Ecclesiae.*

Notandus etiam duplex Messiae, seu Christi adventus. Primus per Incarnationem, qui fuit humilis, ut

pateretur. Alter in iudicio extremo, qui erit gloriosus. Iudaei vero errant, illa quae de secundo adventu dicta sunt, male intelligentes de primo.

§. 32. PROMISSIONES ALICUI FACTAE, INTELLIGUNTUR SAEPE PRO EIUS POSTERIS

Promissiones, quae alicui fiunt, non debent semper intelligi in ipso fore complendas, sed subinde tantum in eius posteris. Hoc patet signanter in promissionibus factis Abraham, Isaac, Iacob de terra Chanaan danda; proinde istud Gen. 13. 15: *omnem terram quam conspicis tibi dabo*, Abraham, non pugnat cum Act. 7. 5. *Non dedit illi* Abrahae Deus *haereditatem in ea, nec passum pedis.*

Sic etiam quae de Christo dicuntur et praedicuntur, non semper ei in persona propria conveniunt; sed subinde illi tamquam capiti, subinde eius corpori, nempe Ecclesiae, subinde utrique: sic Zachar. 2. 8, Christus dicit: *misit me ad gentes;* quo ivit non per se, sed per apostolos; atque ita illa quae dicit Christus Matth. 15. 24, *non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel,* non sunt contraria allegato loco Zachariae, prout nec illo Isaiae 42. 6: *dedi te in lucem gentium.* E contrario non de sua persona, sed de membris suis intelligens, dixit Paulo Act. 9. 4: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et Matth. 25. 35: *esurivi, et dedistis mihi manducare;* unde explicat se ℣. 40: *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

§. 33. MINAE PLERUMQUE CONDITIONATAE SUNT, PROMISSIONES ALIQUANDO

Promissiones saepe, comminationes autem ordinarie intelligendae sunt, ut sint conditionatae, licet in illo

loco Scripturae, in quo fiunt, non addatur expresse ulla conditio. Notant proinde interpretes in prophetiis non semper esse praedictionem absolutam, seu *prophetiam praedestinationis*, ut vocant, sed plerumque esse conditionatam, quam, si de malo sit, *Comminationis* appellant. Talis erat illa Ionae 3. 4: *adhuc 40. dies, et Ninive subvertetur*. Et illa Isa. 38. 1. ad Ezechiam: *dispone domui tuae, morieris enim*, iuncto ℣ 5. In promissis exemplum est 1. Reg. 2. 30: *loquens locutus sum, ut domus tua* Heli, *et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum; nunc autem dicit Dominus: absit hoc a me*, etc. Hoc impletum fuisse amoto Abiathar, qui erat ex posteris Heli, patet 3. Reg. 2. 27. Tunc autem taliter praedicta, aut potius dicta, non significant absolutum Dei decretum, sed conditionatum: si res in eodem statu permaneant, si conditiones ex parte hominum impleantur, unde recte s. Bon. 3. dist. 17. a 2. q. 1. *Cum Deus disponit vel vult aliquid, non semper disponit in omnem eventum, sed praesuppositis congruentibus antecedentibus; sicut nos salvare, si tamen volumus per bona merita salutem acquirere.*

§. 34. AC SI DUBITARES LOQUITUR DEUS NON DUBITANS

Deus dubitationum particulis utitur in Scriptura, ut indicet in hominibus esse libertatem arbitrii, vel ut insinuet paucitatem eorum qui rem requisitam facturi sunt; vel etiam ut se accommodet vulgari hominum loquendi modo; v. g. Ierem. 26. 3. Ezech. 2. et 3. Quapropter Hieron. ad istud Ezech. 2: *si forte vel ipsi audiant, simile quid et in Ieremia scriptum est: si forte audiant, et agant poenitentiam, et in Evangelio* Luc. 20. *Forsitan filium meum reverebuntur. Loquitur autem Deus haec ambigentis affectu. ut liberum hominis monstret ar-*

bitrium, ne praescientia mali vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum noverit. Non enim quia ille futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille praescivit: sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus. Eodem modo Bonav. in Sap. 13. 6: *forsitan errant; forsitan,* ait, *est hic nota libertatis arbitrii, non nota dubitationis.*

August. ad illa psalmi 2. 12. *Ne quando irascatur Dominus,* inquit: *cum dubitatione positum est, non secundum visionem prophetae, cui certum est, sed secundum eos ipsos qui monentur, quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non aperte revelatur; hoc ergo sibi ipsis dicere debent: apprehendamus disciplinam, ne quando irascatur Deus, et pereamus de via iusta.*

CAPUT TERTIUM

REGULAE DE TROPIS IN SCRIPTURA OCCURRENTIBUS

Ut notat s. August. Tract. 10. in Ioan. *Habet scriptura nostra linguam suam,* id est modos loquendi speciales; monet proinde lib. 3. doct. christ. cap. 29.: *Sciant litterati, modis omnibus locutionis, quos grammatici graeco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse; istorum autem troporum omnium exempla in divinis libris leguntur quorum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus dissolvendis est necessaria, quia cum sensus, si ad proprietatem verborum accipiatur, absurdus est; quaerendum est utique, ne forte illo, vel illo tropo dictum sit, quod non intelligimus, et sic pleraque inventa sunt, quae latebant.* De his ergo tropis, seu metaphoris quasdam demus regulas, seu potius exempla.

§. 1. ANTICIPATIO SEU PROLEPSIS

Scriptura saepe utitur *prolepsi*, seu *anticipatione*. Sic iuxta Aug. q. 23. in Levit. vocat Exod. 19. 22, *sacerdotes, filios Aaron; non quia iam erant, sed quia futuri erant, hoc eos iam tunc Scriptura appellavit per anticipationem, sicut sunt pleraque talium locutionum: nam et filius Nave, Iesus appellatus est* Exod. 17. 9: *cum longe postea hoc nomen ei Scriptura narret impositum;* nempe Num. 13. 17.

Mors Abrahae Gen. 25. 7, refertur ante natos Iacob et Esau, cum tamen hi sint nati Isaaco existente sexagenario Gen. 25. 26; Isaac autem natus sit, dum Abraham esset centenarius Gen. 21. 5; Abraham vero vixit 175. annis Gen. 25, 7, adeoque mortuus est, dum Iacob et Esau haberent quindecim aetatis annos. Sic alia multa in Scriptura narrantur praevie, quam ordine historiae facta sint, ut Gen. 14. 2. *Bala* urbs vocatur *Segor*, quae tamen non eo tempore, quo contigit historia, illo capite descripta, sed postea vocata est *Segor*, cum Loth ex Sodomis evasisset. Gen. 19. 22.

Hieronymus ad illa Ezechielis 30. 14, *faciam iudicia mea in Alexandria*, ait: *quae hodie sic vocatur, caeterum pristinum nomen habet, No, quod Aquila, Symmachus, Theodotio, sicut in hebraeo positum est, transtulerunt. Nos autem pro No, Alexandriam posuimus per anticipationem, quae graece prolepsis appellatur, ut manifestior locus fieret lectoris intelligentiae.*

§. 2. RECAPITULATIO, SEU HYSTERON-PROTERON

E contra frequenter in Scriptura occurrit *recapitulatio*, quae et *catalepsis* vocatur et *hysteron-proteron*, hoc est, *posterius-prius*, seu *hysterologia*, cum prius facta, posterius referuntur. De hoc Lyranus in cap. 18. Isaiae,

Scriptura sacra non semper procedit secundum ordinem historiae, et maxime in prophetis, sed frequenter prius facta posterius scribuntur, ut patet quasi in omnibus libris Scripturae

Sic quod Gen. 2. a ℣. 21 narratur de creatione Hevae, ordine historiae ponendum esset ante ℣. 28. Gen. 1. Hanc regulam tradit August. lib. 3. doct. christ. cap. 36. *Sextam regulam Tychonius recapitulationem vocat, in obscuritate scripturarum satis vigilanter inventam: sic enim dicuntur quaedam, quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora, quae intermissa fuerant, latenter narratio revocetur, quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur: sicut in Genesi* cap. 2. 8. *plantaverat Dominus paradisum, etc. Ita videtur dictum, tamquam id factum sit, posteaquam factum posuit Deus hominem in paradisum; cum breviter utroque commemorato, recapitulando redeat, et dicat quod praetermiserat.*

§ 3. HYPERBATON, ET PARENTHESIS

Frequentissima est in Scriptura figura *hyperbaton*, seu *transcensio*, sive *transpositio* quaedam verborum ordinem litterae perturbans, ut Act. 9. 17. *Dominus misit me Iesus.* Maxime consideranda est eius species *parenthesis*, quae est interposita locutio diversae sententiae, ratione cuius verba sequentia non sunt connectenda cum proxime praecedentibus, seu *parenthesi*, sed cum remotioribus, hoc est cum illis, quae *parenthesim* praecedunt: sic Gen. 10. 12. *Haec est civitas magna*, non ad *Chale*, quae immediate praecesserat, sed ad *Niniven* refertur, quae dicitur Ionae 3. 3. *magna itinere trium dierum.* Illud Gen. 13. 10. *venientibus in Segor*, afficit vocem *irrigabatur*, non vocem *Aegyptus*, licet haec proximius ei coniungatur. Gen. 14. 20: *et dedit ei decimas,*

vox *dedit* non intelligitur de Melchisedech, qui immediate refertur locutus, sed de Abraham, ut patet ex Paulo ad Hebraeos 7. 4. Idem attendendum Gen. 21. 19. et 20. Sap. ult ℣. 16. Exod. 22, ubi verba ℣. 3. coniungenda cum ℣. 1, non cum ℣. 2.

Notabile exemplum est Ioan. 19. 5. *Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce homo.* Illa *et dicit eis*, de Pilato intelliguntur, quem antea loquentem induxerat Evangelista, et qui dixit; *Ecce homo*, non vero Dominus Iesus.

§. 4. ANTHROPOPATHOS

Sanctus Bonav. in psalm. 25. *Per figuram, quae dicitur anthropopathos, passiones nostras Deo attribuimus*, imo et ipsa Scriptura pene ubique; sic Gen. 6. 6. *Poenituit eum fecisse hominem, et tactus dolore cordis intrinsecus, etc.* Item dum ei tribuit humanam formam, os, oculos, manus, humanasque affectiones, et passiones. Haec autem ideo dicuntur de Deo, quia in exteriori effectu ita Deus operatur, sicuti homines interne constituti sunt, dum similia faciunt, et quia simili modo agit circa creaturas, quo agunt ipsae creaturae talia membra, vel passiones habentes. De hac re vide Damasc. lib. 1. de fide cap. 14. Eucherium Lugdun., in tract. de forma verborum spiritualis intelligentiae. Cuius duo priora capita habentur tom. 4. inter opera s. Augustini, sub nomine libri de essentia divinitatis.

Notanda hic verba s. Hilarii lib. 12. de Trin. post initium: *plerumque per nostrorum corporum membra operationum suarum nobis Deus momenta significans, sensum nostrum usu intelligentiae communis edocuit, cum ait: cuius manus creaverunt omnem militiam coeli, vel iterum: oculi Domini super iustos. Vel rursum: inveni David virum se-*

cundum cor meum. Cum enim et voluntas significetur in corde, per quam David morum probitate complacuit, et cognitio universitatis, qua extra scientiam Dei nihil est, sub oculorum vocabulo enuntietur, et operum efficientia, qua nihil non ex Deo sit per nomen manuum intelligatur. Per caeteras membrorum significationes, caeterarum quoque in Deo spiritualium efficientiarum demonstratur effectus, etc.

Aeque merentur hic adscribi verba s. Greg. l. 32. moral. cap. 6. ad illa Iob. 40. 4: *si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas, Cum in Deo vox et brachium dicitur, cavendum summopere est, ne quid in eo mens corporeum suspicetur. In anthropomorphitarum namque haeresim cadere est, eum qui incircumscripte implet, et circumplectitur omnia, intra corporalia lineamenta concludere. Sed omnipotens Deus ad sua nos trahens, ad nostra se humiliat; unde fit, ut per Scripturam suam aliquando a corporibus hominum, aliquando a mentibus, aliquando vero ab avibus, aliquando etiam ab insensatis rebus, quasdam longe dissimiles in se similitudines trahat.*

Plerumque a corporibus hominum, sicut de eo propheta Zachar. 2. 8, ad Israelitas dicit: qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Et sicut de eo speranti homini per prophetam dicitur psalm. 90. 4: *scapulis suis obumbrabit tibi. Constat nimirum, quod in natura sua nec oculum Deus, nec scapulas habeat; sed quia nos per oculum cernimus, in scapulis vero onera sustinemus, Deus quod omnia videat, oculum habere perhibetur, quod vero nos tolerat, atque eo ipso quo tolerat servat; obumbrare nobis in scapulis dicitur.*

Aliquando vero a mentibus in se similitudinem trahit, sicut per prophetam Ierem. 2. 2. *ad Israel dicit: recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam. Et rursum per*

mulieris comparationem Isaiae 49. 15: *et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Quis enim nesciat quia Dei memoria nec oblivione rumpitur, nec recordatione sarcitur? Sed dum aliqua deserens praetermittit, more mentium oblivisci dicitur: et cum post longum tempus, quae voluerit visitat, nostrae mutabilitatis consuetudine recordatus, vocatur.*

Aliquando ab avibus, sicut per Moysen dicitur Deut. 32. 11: *expandit alas suas, et assumpsit eum; et propheta* ps. 16. 8: *sub umbra alarum tuarum protege me. Quia enim nos parvulos dum protegit, nutrit, et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.*

Aliquando etiam insensatis rebus propter infirmitatem nostram, alta condescensione se comparat, sicut per prophetam Amos 2. 13. *dicit; Ego stridebo subter vos sicut stridet plaustrum onustum foeno. Quia enim foenum est vita carnalium, sicut scriptum est* Isa. 40. 6: *omnis caro foenum; in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri foenum se portare testatur, cui sub foeni onere stridere, est pondera, et iniquitates peccantium cum querela tolerare.*

§. 5. LEPTOTE SIVE EXTENUATIO

In Scriptura frequens est *leptote*, hoc est *extenuatio*, quando nimirum utitur verbo minus vehementi, quam intendat significare; v. g. Levit. 10. 1: *offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat;* pro: quod eis erat prohibitum. 1. Reg. 12. 21: *nolite declinare post vana* (id est idola) *quae non proderunt vobis*, hoc est: quae maxime oberunt, 1. Machab. 2. 21: *non est utile nobis relinquere legem;* pro: pernicio-

sissimum esset. Isaiae 57. 12: *opera tua non proderunt tibi*, hoc est: valde oberunt. Sic de eo, quod valde malum esse significatur, dicitur proverb. 18. 5. cap. 24. 23. Eccl. 7. 14. *non est bonum*. Act. 21. 21. *non debere*, id est, non posse *eos circumcidere filios suos*.

§. 6. EPITASIS SIVE EXAGGERATIO

E converso utitur etiam Scriptura *epitasi*, seu *exaggeratione*, scilicet verbo vehementiori, pro minus vehementi: ut Malach. 1. 3. Rom. 9. 13: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, ubi, *odio habui*, idem est ac minus dilexi, postposui, neglexi, 1. Reg. 16. 7, Deus de Eliab. fratre Davidis ait: *abieci eum*, id est, non elegi, ut sit rex. Eadem phrasi dixit Christus Luc. 14 26. *si quis.... non odit patrem*, etc. q. d. nisi minus amet, negligat, postponat mihi, et Evangelio.

Per similem epitasim utitur signo *omnis*, pro magno et excellenti, ps. 106. 18: *omnem escam abominata est anima eorum*, id est optimam et excellentissimam, nempe manna habens omnis saporis suavitatem; nam non abominabantur carnes, cucumeres, pepones, porros, cepas, allia, sed talia avide desiderabant Num. 11. Sic etiam Ps. 38. 6, *universa*, hoc est mera, et summa *vanitas, omnis homo vivens*. 1. Reg. 4. 8. *Hi sunt dii, qui percusserunt Aegyptum omni*, id est gravissima *plaga in deserto;* nam alia plaga non sunt Aegyptii in *deserto* afflicti, quam demersione in mare rubrum; prout etiam Eccli. 25. 17. *omnis plaga*, sumitur pro summa. 1. Cor. 13. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*. Hoc est perfectissimam. Per *epitasim* etiam videtur exponendum illud Eccl. 12. 13. *Deum time, et mandata eius observa, hoc est enim omnis homo;* q. d. qui hoc fecerit, optimus erit, et praestantissimus homo.

§. 7. HYPERBOLE

Epitasi affinis est *hyperbole*, seu *excessus* loquendi, quem nec Scriptura refugit. Sic saepe terra promissa dicitur: *fluens lacte et melle*. Sic Gen. 41. 49, *frumentum* coaequatur *arenae*. 3. Reg. 10. 27, *argentum lapidibus*. Habes Exod. 12. 38. *vulgus promiscuum innumerabile*. Deuter. 9. 1. *civitates ad coelum usque muratas*. Ezech. 38. 13. *manubias infinitas*. Ios. 22. 10. Rubenitae *aedificaverunt altare infinitae magnitudinis*. 2. Reg. 1. 23. Saul et Ionathas dicuntur *aquilis velociores, leonibus fortiores*. Matth. 2. 3, *Herodes turbatus est, et omnis Ierosolyma, cum illo*. Ioan. ult. *Quae fecit Iesus, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*. Ad quae Aug. tract. ult. in Ioan. *Hunc loquendi modum hyperbolem vocant, qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis litteris invenitur*. In hac figura, non mera verba attendi debent, nam ea manifeste falsa sunt, si nude spectentur; sed consideranda est mens loquentis, quae satis aperte per verba illa sese manifestat.

§. 8. ANTONOMASIA

Per *antonomasiam* in Scriptura Deus vocatur *Dominus*, spiritus malus hebraice *Satan*, syriace *satana*, hoc est, *adversarius*, at graece *diabolus*, id est *criminator*, *calumniator*. Christus *Iustus*. Act. 7. 52. Isa. 45. 8. cap. 51. 5. propheta *videns* 1. Reg. 9. 9. Et ut notat Aug. lib. 3. ad Bonif. cap. 3. *Quando dicitur: apostolus* (a fidelibus) *si non exprimatur quis apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus epistolis est notior, et plus omnibus laboravit*.

§. 9. SYNECDOCHE

Usitatissima est in Scripturis *synecdoche*, ut observat Greg. lib. 3. moral. cap. 9. al. 10. *Saepe Scriptura s. sic totum pro parte, sicut pro toto partem ponere consuevit; pro toto enim partem loquitur.* Gen. 46. 27, *intravit Iacob in Aegyptum cum animabus* 70, *quia nimirum cum animas memorat, constat quia intrantium et corpora comprehendit. Rursum totum pro parte insinuat, sicut ad monumentum Maria queritur, dicens* Ioan. 20. 13: *tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum: solum quippe corpus Domini quaesitura venit, et totum simul Dominum sublatum deplorat.* Marc. 16. 6: *Iesum quaeritis Nazarenum*, hoc est corpus eius, prout et Ioan. 19. 42. *Quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.* Per eandem figuram *secundum regulam Isidori, s. Scriptura frequenter attribuit toti populo, quod tamen ei convenit ratione unius partis*, inquit Lyranus in Deuter. 8. 2. Sic Deus dicit Iosue 7. 11. *peccavit Israel: furati sunt atque mentiti*, cum solus Achan peccasset. Sic etiam *sanctos* vocat Paulus Corinthios 1. Cor. 1. 2. quos acriter arguit, et quorum unus erat tam enormis incestuosus.

Pars pro toto, ut notavit Gregorius supra, est Gen 46. 27. Item Num. 23. 10. *moriatur anima mea*, hoc est ego, *morte iustorum.* Iudic. 16. 30. *moriatur anima mea cum Philistiim.* Iosue 11. 11. *percussit omnes animas, quae ibidem morabantur.*

Caro pro toto homine Gen. 6. 12. *Omnis caro corruperat viam suam.* Luc. 3. 6. *videbit omnis caro salutare Dei.* Ioan. 1. 14. *verbum caro factum est.* Nimirum, ut ait V Beda in retr. Act. 17. 26. *Per carnem more solito Scripturarum, hominem vult intelligi, iuxta illud psalmistae: ad te omnis caro veniet.* Quandoque etiam *caput*,

ut membrum praecipuum, pro toto homine ponitur, v. g. Exod. 16. 16: *gomor per singula capita.* Item 2. Reg. 1. 16. Proverb. 25. 21. Rom. 12. 20.

Alia est *synecdoche*, qua pars logica pro toto ponitur, seu genus pro specie, ut *tempus* pro *anno* Dan. 7. 25. *tempus et tempora et dimidium temporis,* hoc est: tribus annis cum medio. Sic saepe in Levitico habetur *facere* pro *sacrificare.* E contra species pro genere ponitur Isaiae 1. 15. *sanguis,* seu homicidium, pro quovis peccato contra proximum. Psal. 111. 3. *iustitia* aut *misericordia,* pro quavis virtute ad alterum; *pestis* et *gladius* pro quavis clade. Exod. 20. *Non moechaberis*, pro omni externa libidine. *Non furtum facies,* pro omni iniustitia in bonis externis.

Huic affine est, quando materia ponitur pro re, quae ex ea conficitur. Sic 2. Reg. 6. 5: *ludere in omnibus lignis fabrefactis,* est ludere omnibus instrumentis musicis de ligno factis. Aliquando pars una pro altera ponitur, ut *anima* pro cadavere. Num. 9. 6. 7. 10. Agg. 2. 14. *Immundi super anima hominis,* id est propter contactum cadaveris.

Datur et synecdoche temporum, de qua Aug. lib. 3. doctr. christ. cap. 35. *Tropus synecdoche aut a toto partem, aut a parte totum facit intelligi. Hoc locutionis modo illa de resurrectione Christi solvitur quaestio, pars enim novissima diei, qua passus est, nisi pro tota die accipiatur, adiuncto scilicet die illucescente dominico: non possunt esse tres dies, et tres noctes, quibus se in corde terrae praedixit futurum.*

Sic pariter in annis vitae variorum hominum, vel regnorum consignandis ordinarie integros ponit Scriptura, ex quibus variae apparentes contradictiones oriuntur, sed si completos pro incompletis synecdochice

poni reflectamus, facile difficultates solventur; v. g. Mathusala dicitur Gen. 5. vixisse 969. annis, cum tamen horum ultimum non compleverit, utpote qui coincidit cum anno sexcentesimo Noe, cuius mense secundo factum est diluvium, in quo (nisi parum ante obierit) submersus est Mathusala, quandoquidem non fuerit in arca cum Noe. Sic etiam dicitur Gen. 15. 13. *affligent eos* 400. *annis*. In rigore tamen fuerunt 405, ut communissime tenetur. Notavit illud August. q. 47 in Exod. *ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis de Aegypto computantur anni* 405. *Non mirum est, si* 405, *annos summa solida* 400 *voluit appellare Scriptura, quae solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectioris numeri paululum excressit, aut infra est, non computetur.*

Phrasi fere eadem ponitur saepe numerus definitus pro indefinito. Sic Christus omnia relinquentibus, ipsumque sequentibus promittit Matth. 19. *centuplum*, quod explicat Luc. 18. 30: *recipiet multo plura:* inde est et illud Matth. 18. 22: *septuagesies septies*, itemque Matth. 19. 28: *sedebitis super sedes duodecim*. Et istud: *verbi quod mandavit in mille generationes*. Ps. 140. 8. Etenim, ut notavit S. Gregor. libr. 1. moral. cap. 2. *In Scriptura sancta millenarius numerus pro universitate solet intelligi.*

§. 10. SYLLEPSIS

Affinis praecedenti est tropus qui vocatur *syllepsis*, *quo et pro uno omnes, et pro multis unus appellari solet; nam et Paulus in epistola ad Hebraeos, cum sanctorum passiones et merita descripsisset, intulit* (cap. 11. 37.) *Lapidati sunt, tentati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt; cum unum tantummodo Isaiam prophetam sectum Iudaei autument*. Ita Hieron. ad illa Matth. 26. 8,

videntes discipuli indignati sunt, dicentes. Quem locum per eandem figuram explicat, cum solus Iudas indignatus legatur Ioan. 12. 4. Idem ad ista Matth. 27. 44, *latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, ait: *hic per tropum, qui appellatur syllepsis, pro uno latrone, uterque inducitur blasphemasse.*

Huc etiam spectat, quod pluralis numerus quandoque sit explicandus disiunctive. Sic Ioan. 6. 45. Act. 13. 40. et alibi *in prophetis*, idem est, ac si dicat: in uno aliquo ex prophetis. Gen. 23. 6. *In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum*, est in uno ex selectioribus. Iacob. 5. 14. *inducat presbyteros*, hoc est aliquem ex sacerdotibus: sufficit enim unus ad unctionis extremae sacramentum administrandum.

§. 11. METONYMIA

In Scripturis est frequentissima *metonymia*, latine *transnominatio:* v. g. continens pro contento Deuter. 4. 26. Isa. 1. 2, *coelum et terra*, pro coeli terraeque incolis. Gen. 24. 20, *effundens hydriam in canalibus.* Matth. 20. 22, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* Proprie loquendo nec calix bibitur, nec hydria effunditur, sed liquor in hydria aut calice contentus. Sic etiam dicitur *Samaria* pro Samaritis, *Ierusalem* pro inhabitantibus eam.

E converso contentum pro continente Luc. 16. 6, *accipe cautionem tuam*, id est scriptum continens cautionem tuam. Sic angeli saepe dicuntur in Scriptura *virtutes*, qua ratione etiam Deus *Dominus virtutum*, hoc est angelorum, quibus inest maxima *virtus* δύναμις, id est potentia, robur, fortitudo, vires

Metonymice ponitur etiam causa pro effectu, et e contra. Sic vox *peccatum* aliquando meram poenam,

vel effectum culpae denotat, v. g. concupiscentiam; quandoque hostiam, quae pro peccato offertur Oseae 4. 8, dicitur: *peccata populi mei comedent.*

Aliquando materiam circa quam culpa est commissa, ut Deuter. 9. 21, *peccatum vestrum, quod feceratis, id est vitulum, igne combussi.* Quandoque pro immunditia mere legali. Sic puerperium, et lepra vocantur *peccatum* Levit. 12. 6; et 14. 15, prout et alibi menstrua. Imo Num. 6. 11. contactus, aut praesentia ad mortuum; hinc et apost. 2. Cor. 5. 21, *eum qui non noverat peccatum*, nempe Christum, Deus *pro nobis peccatum fecit.* Hac phrasi *eleemosyna* vocatur ipse effectus ἐλεημοσύνης seu virtutis misericordiae. Hoc modo etiam *Moyses* vocantur eius scripta Act. 15. 21. *Moyses habet, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Ioannes Baptista vocatur *Vox*, quia docuit, annuntiavit et voces fecit.

Ponitur etiam metonymice signum pro significato, vel contra Gen. 17. 13, *erit pactum meum in carne vestra*, nempe circumcisio, seu signum pacti. Sic etiam saepe *nomen Dei* ponitur pro ipso Deo; et quasi continuo habetur *verbum* pro re significata per verbum. 3. Reg. 3. 11, *quia postulasti verbum hoc;* id est hanc rem, seu sapientiam. 2. Reg. 1. 4, *quod est verbum, quod factum est?* Lucae 2. 15, *videamus hoc verbum, quod factum est.* Isaiae 39. 2, *non fuit verbum, quod non ostenderit eis Ezechias, in domo sua.* Ibid. ℣. 4, *non fuit res* (Hebr. דבר *dabar verbum*) *quam non ostenderim eis in thesauris meis.* Eodem sensu accipe illud archangeli Gabrielis ad B. Virginem Luc. 1: *non erit impossibile apud Deum omne verbum,* hoc est: nihil est Deo impossibile.

§. 12. METALEPSIS

Datur etiam in Scriptura *metalepsis*, qua verbum sumitur, non pro eo quod proprie significat; sed pro eo quod proprium significatum consequitur. Sic *commutatio* accipitur pro pretio, aut lytro, Matth. 16. 25: *quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Gen. 15. 14, *gentem cui servient, ego iudicabo*, hoc est puniam; prout *iudicium* saepissime sumitur pro punitione, quae ad condemnatorium iudicium sequitur. Hac figura *audire* sumitur pro obaudire, seu obedire, scilicet pro implere audita. Sic *propitiatio* ac *redemptio* significat pretium earum. Merces operis vocatur *opus*. Fructus laborum *labores manuum tuarum quia manducabis*. Ps. 127.

§. 13. ANTIPTOSIS

Per *antiptosim* quandoque unus casus pro altero ponitur in Scriptura; ps. 117; Matth. 21; Luc. 20; *lapidem* (pro *lapis*) *quem reprobaverunt aedificantes: hic factus est, etc.* Ioan. 14, *sermonem* (pro *sermo*) *quem audistis, non est meus.* 1. Ioan. 2. 27, *unctionem* (pro *unctio*) *quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Hac phrasi canit etiam Virgilius Aeneid. 1, *urbem, quam statuo, vestra est.* Luc. 1. 79, *illuminare his*, pro *hos*, seu *ad illuminandum hos.* 2. Cor. 8. 23, *sive pro Tito . . . sive fratres nostri*, loco *fratribus*. Ephes. 2. 2, *spiritus* pro *spiritum*. Num. 29. 14, *arieti uno*, pro *uni*. 1. Par. 2. 55. *de calore* (nomen proprium) *patris domus Rechab*, pro *patre*.
Imo quandoque genus unum pro altero ponitur, ut Num. 13. 31, *murmur populi, qui oriebatur*, pro *quod*. Hebr. 9. 3, *tabernaculum, quae dicitur sancta.* Habes idem Sap. 7. 7; Matth. 20. 25; Luc. 22. 25.

§. 14. HYPALLAGE

Hypallage, dum nempe verba inverso modo sunt intelligenda, habetur Levit. 25. 15; *tempus frugum vendent tibi*, hoc est *fructus temporis*, seu usumfructum pro tanto tempore. Isaiae 6. 7, *peccatum tuum mundabitur*, id est: mundaberis a peccato tuo. Matth. 8. 3, *mundata est lepra eius:* ipse a lepra sua. Act. 21. 3, *cum apparuissemus Cypro*, pro: *cum nobis apparuisset Cyprus*, seu: *cum illam in conspectu habuissemus*. Exod. 12. 11, *calceamenta habebitis in pedibus*, hoc est pedes in calceamentis, seu calceatos.

§. 15. ENALLAGE

Nihil tam frequens est in Scriptura, quam omnis generis *enallage*, seu *mutatio*, dum scilicet pro alio ponitur. *Enallage* numeri pluralis pro singulari habetur Gen. 46. 23, *filii Dan Husim*, pro *filius:* unicus enim erat. E contra *dicta est locusta et rana in plagis, quibus Aegyptii percussi sunt, cum esset innumerabilis locustarum numerus et ranarum*. August. lib. 5. Gen. ad litt. cap. 10.

Enallage numeri cardinalis pro ordinali est Gen. 1. 5, *factum est vespere et mane dies unus*, id est *primus*. Aggaei 1. 1, *die una*, id est prima *mensis*. Luc. 24. 1, *una sabbati*, hoc est prima septimanae. *Enallage* temporis praeteriti pro futuro, etc. infra dabitur cap. V, §§. 2, 3, 4.

Per *enallagen* etiam sensum unum, vel sensus actum cum alio commutat Scriptura; maxime *visum*, quia omnium praestantissimus est, pro quovis sensu ponit. Pro auditu Exod. 20. 18, *populus videbat voces*. Pro tactu Ioan. 20. 29, *quia vidisti me, Thoma, credidisti*, hoc est, quia tetigisti. Pro gustu ps. 33. 9, *gustate et videte*

(id est sapite spiritualiter) *quoniam suavis est Dominus.* Pro olfactu Exod. 5. 21, *foetere fecisti odorem nostrum* (nomen et famam) *in oculis Pharaonis.* Sic etiam quemvis sensum externum sumit Scriptura pro intellectu, et sensationem pro intellectione, ut ps. 33. 9, *gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* 1. Cor. 14. 2, *nemo audit,* id est intelligit. Hebr. 5. 11, *imbecilles ad audiendum,* hoc est ad intelligendum. Eccli. 17. 6, *sensu implevit cor illorum.* Sap. 7. 7, *optavi et datus est mihi sensus.*

Eadem figura ponitur potentia, vel actus potentiae pro obiecto, ut *visio* pro re visa, Isa. 1. 1, Dan. 8. 13. *Aspectus,* pro colore qui conspicitur, Levit. 13. 10. *Auditus,* pro re audita, Isa. 53. 1, Ierem. 49. 23, Ezech. 7. 26, Habac. 3. 1. *Spes* pro re sperata, Proverb. 13. 12, Rom. 8. 24. *Timor,* pro eo quod timetur, Gen. 31. 42, et 53. Isa. 8. 12, Iob. 3. 25. *Concupiscentia,* vel *desiderium,* pro concupito aut desiderato. Ps. 105. 14, ps. 77. 29. Sap. 16. 3, *Expectatio, praestolatio,* pro re expectata, Prov. 17. 8. et 23. 18. *Intellectus,* pro re intellecta; Eccli. 34. 9. *Patientia,* pro eo, quod patienter expectatur, Ierem. 29. 11; aut pro ea re propter quam patimur, ps. 70. 5. *Deprecatio,* pro eo, quod deprecamur, Eccli. 34. 20. *Ebrietas,* pro inebriativo, Isa. 5. 22. *Custodia,* pro re custodita, aut custodienda, Habac. 2. 1. Zachar. 3. 7. Act. 27. 1. 42. *Gloria,* pro eo, de quo gloriamur, *abominatio,* pro abominabili, *amor,* pro amato, etc.

§. 16. PERIPHRASIS

Scriptura cum turpium facit mentionem, non semper verbis utitur manifeste turpibus, sed iuxta periphrasim loqui consuevit, quae figura circuitu, et circumlocutione verborum

foeditatem evitat. S. Bonav. lib. Princ. Script. Sic foeminam carnaliter cognoscere vocat; *ingredi ad illam, revelare eius turpitudinem, etc.* Menstrua vocat Gen. 18, 11, *muliebria*, et Gen. 31. 35, *consuetudinem foeminarum,* Isaiae 7. 20. *pilos pedum* vocat verendorum. Habes Isaiae 36, 12, *urinam pedum;* nam quidquid infra alvum est Scriptura pedibus tribuit. Hinc pro eo quod Vulgata habet Gen. 49. 10: *dux de foemore eius*, in hebraeo est: *dux de inter pedes eius.* Purgare ventrem per periphrasim dicit: *tegere pedes*, vel, ut alii exponunt: *purgare pedes*, qualiter est in hebraeo 1. Reg. 24. 4. Hebraeus textus idem significat per *sedere* Deuter. 23. 12. Ibidem ℣. 10, pollutio nocturna in hebraeo vocatur: *accidens noctis.* Quod ait Ezech. 7. 17, et cap. 21. 7, *omnia genua fluent aquis*, idem est, ac si diceret: omnes prae metu se commingent.

§ 17. CATACHRESIS

Catachresis, id est *abusio*, seu aliena et impropria vocis usurpatio. Matth. 9. 31, *diffamaverunt eum in tota terra illa*, pro: famam eius cum laude magna divulgarunt. Eodem sensu dicitur 1. Thessal. 1. 8, *diffamatus sermo Domini.* Num. 18. 31, *pretium* est victus stipendium. Deuter. 8. 1, *cave*, pro diligenter attende. Deuter. 15. 6, et Luc. 6. 34: *foenerari*, est mutuum dare. Ierem. 18. 21, *deduc eos in manus gladii.* Luc. 21. 24, *cadent in ore gladii.* Malach. 4. 2, *pennae solis*, sunt eius radii.

Hac figura dicitur Hebr. 12. 9, *Deus pater spirituum.* Iob. 38. 28, *pluviae pater*, id est auctor: qualiter diabolus vocatur Ioan. 8. 44, *pater mendacii.* Iubal Gen. 4. 21, *pater* (id est primus, quia invenitor) *canentium organo.* E converso *filios* et *filias* vocat Scriptura, quaecumque ex aliqua re extrahuntur, et quasi pariuntur,

procedunt, aut dependentiam habent. Sic Thren. 3. 13, *filiae pharetrae* sunt sagittae. Isa. 21. 10, *filii areae*, grana frumenti excussa in area. Eccle. 12. *filiae carminis*, aures.

Filiae civitatis alicuius 1. Par. 7. 28. 29; Ezech. 16. 46; Isa. 16. 2; Ierem. 49. 2. 3, sunt viculi, aut oppida illi subiecta, aut etiam aliae minoris considerationis aut iurisdictionis urbes, respectu quarum illa est metropolis (ut etiamnum loquimur) hoc est *mater civitas*. Unde ubi Vulgata habet Num. 21. 25, *in Hesebon et viculis eius*, in hebraeo est: *in Hesebon, et omnibus filiabus eius*. Notavit istud s. Aug. q. 9, in libro Iudic *filias eius dicit civitatis, quas ipsa quasi metropolis instituerat*. Tyrus, quia tota erat cincta mari, et negotiatione navali florebat, vocatur Isaiae 23. 10, *filia maris*. Eadem metaphora dicitur: *filius pacis*, *filius iniquitatis*, *filius mortis*, *filii regni*, *filii sponsi*. *Filii Dei*, *et filii diaboli*. 1. Ioan, 3. 10. Item *filii prophetarum*, hoc est discipuli. *Filii Belial*, hoc est diaboli, qui hebraice dicitur *Belial*, id est sine iugo. Iidem dicuntur Matth. 13. 38, *filii nequam:* nam ibidem *nequam* est genitivus τοῦ πονηροῦ, et significat nequissimum omnium, nempe diabolum. Sic etiam Rabbini dicunt; חמיץ בן יין *hhomets ben jain*, *acetum est filius vini*.

§. 18. EUPHONISMUS

Hebraei per *euphonismum* hoc, quod durum, sive infaustum est, a se removent in hostes suos, v. g. 1. Reg. 25. 22: *haec faciat Deus inimicis David*, *et haec addat*, *si reliquero*, *etc*. Ubi David cum sibi imprecabatur malum, nisi gravem de Nabal sumeret vindictam, loco sui substituit hostes suos.

§. 19. IRONIA. SARCASMUS.

Aliquoties Scriptura etiam *ironia* et *sarcasmo* utitur, v. g. Gen. 3. 22: *ecce Adam quasi unus ex nobis, etc.* Deuter. 32. 38; *surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant*, dicit Deus de idolis, quae Israelitae coluerant, de quibus eadem phrasi Iudic. 10. 14: *ite et invocate Deos, quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore angustiae.* Sacerdotibus Baal 3. Reg. 18. 27, *illudebat Elias dicens: clamate voce maiore, Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Zachar. 11. 13, *decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*, dicit Deus de 30. argenteis, quibus eum Iudas vendidit. Sic et Christus Matth. 26. 45, *dormite iam et requiescite.*

§. 20. SYNCHORESIS

Quandoque in Scriptura est *synchoresis*, id est *permissio*, seu *concessio*, quae fit dum aliquid alicui verbis quasi conceditur, permittitur, suadetur, aut etiam mandatur, quod tamen ex circumstantiis et mente loquentis ipsi potius dissuadetur. Talis est in verbis Christi Ioan. 13. 27. *quod facis, fac cito;* nam ut vel ipse Calvinus notat: *non ita Iudam hortatur Christus, ut censeri possit impulsor; potius vox est detestantis: hactenus illum variis modis revocare studuerat, sed nullo profectu; nunc ut hominem deploratum alloquitur: pereas, quando tibi decretum est perire.* Idem occurrit Eccle. 11. 9, *laetare ergo iuvenis in adolescentia tua.*

Hac figura plura Scripturae loca, alioquin difficillima, explicantur, in quibus proinde illud, quod concedi, suaderi, aut mandari videtur, potius dissuadetur. Tale est etiam illud Thren. 4. 21, *gaude et laetare filia*

Edom. Et 3. Reg. 22. 15, *ascende et vade prospere, etc* Utroque enim loco est *synchoresis*, et gaudium tamquam intempestivum, ascensioque veluti funesta, dum verbis conceditur, sensu reprehenditur et dissuadetur. Sic etiam dixit Eliseus Hazaeli 4. Reg. 8. 10, *vade, dic ei: sanaberis; porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur:* q. d. vade, et pro tuo, et assentatorum more, qui nihil durum regibus audent nuntiare, vitam, si vis, regi promitte : scito interim quod morietur.

§. 21. ANTIPHRASIS

Datur etiam in Scriptura *antiphrasis, ut contraria significet.* Aug. lib. 3. doctr. christ. cap. 29. Idem libr. contra Mend. cap. 10. *quid? quod tropica locutio usque ad eam pervenit, quae appellatur antiphrasis, ut dicatur abundare, quod non est, dicatur dulce, quod acidum est; unde est illud in Scripturis sanctis: si non in faciem benedixerit tibi* (Iob. 1. 11. et cap. 2. 5.) *quo verbo et Nabuthaei* (hoc est Naboth) *fictum crimen a calumniantibus nominatum est, dictum est enim, quod benedixerit regi, hoc est maledixerit.* 3. Reg. 21. 13. Sic etiam iuxta multos *sanctificari* dicitur pro pollui Deuter. 22. 9.

§. 22. ALPHABETUM DICTIONUM METAPHORICARUM

Est denique generaliter notandum cum Aug. lib. 3. d. ct. christ. cap. ult. *ubicumque velut aliud dicitur, ut aliud intelligatur; et si nomen ipsius tropi in loquendi arte non invenitur, tropica locutio est.* Quapropter ad clariorem intellectum plurimorum locorum, hic per Alphabetum subnecto praecipuos modos loquendi metaphoricos s. Scripturae.

Accipere faciem. Malach, 2. 9, et alibi saepe, denotat vitium acceptionis personarum.

Ad dexteram vel ad sinistram ire, in Scriptura est vel alio ire, vel a recta via aberrare, vel aliud facere, aut aliud medium assumere. Habetur Gen. 24. 49. Deut. 5. 32, etc.

Adeps vel *medulla* vocatur quidquid in re qualibet est optimum. Sic Gen. 45, 18, *comedetis medullam terrae*, hoc est praestantissimos terrae huius fructus. Ps. 80, *adipe frumenti satiat te*. Habes Num. 18. 12. Deut. 32. 14. *medullam olei, vini, etc.*

Animam habere, vel *ponere in manibus suis*, significat exponere vitam suam, vel expositam esse periculo. Hoc inde sumptum videtur, quod ea, quae palam sunt in manibus nostris, facile possint eripi, aut excuti. Iudic. 12. 3, *posui animam meam in manibus meis*. Item Reg. 19. 5. et cap. 28. 21. Iob. 13. 14. ps. 118. 109. *anima mea in manibus meis semper.*

Animam alicuius quaerere, est eum velle occidere Exod 4. 19. 2. Reg. 16. 11. Matth. 2. 20.

Aperire aurem. Vide infra, *revelare aurem.*

Apponi populo suo, vel *ad patres suos*, vel *congregari ad illos*, est mori, et inter mortuos recenseri.

Baculus panis, item *fulcrum*, *robur panis* est alimentum, quo quis indiget ad vires corporis, et sustentationem, sicut senes baculo suffulti incedunt. Levit. 26. 16. Isa. 3. 1.

Blasphemare sumitur aliquoties pro contumeliis, aut probris aliquem afficere. Ezech. 5. 15, *eris Blasphemia in gentibus.*

Calix sors est cuiusque, ps. 10. 7; ps. 15. 5; ps. 22. 5. Ordinarie vero afflictionem significat, unde Hier. in Matth. 20, *potestis bibere calicem, etc. Calicem* (ait) *in divinis Scripturis passionem intelligimus, iuxta illud: pater, si possibile est transeat a me calix iste, etc.*

In *capite*, vel *cauda esse*. Vide *esse in capite*.

Commune dicitur quidquid immundum est, et profanum Deut. 20. 6. 1. Matth. 1. 50. Marc. 7. 2. Act. 10. 14. Hinc etiam *communicare* est polluere, et *coinquinare* Marc. 7, 15, 18, 20, 23.

Cornu saepe potentiam significat, eo quod cornutorum animalium robur sit in cornibus. Subinde regnum, quod humana potentia maxime spectetur in regibus. Prioris exemplum est Deuter. 33, 17, *cornua rhinocerotis cornua eius*. 1, Mach. 2. 48, *non dederunt cornu peccatori*. Item ps. 43. 6; ps. 74. 11. *omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti*. Pro regno aut regali dignitate Eccli. 47. 13, *exaltavit in aeternum cornu eius*. Ezech. 29. 21. Dan. 7. 8. Ps. 13. 17. Luc. 1. 69.

Domum aedificare, vel *facere* alicui, est posteros illi dare. *Domum destruere*, est adimere filios; quia ex filiis quasi lapidibus vivis construuntur familiae, quae ideo etiamnum *domus* vocantur, ut *domus austriaca*. Vid. Exod. 1. 21. Deuter. 25. 9. Ruth. 4. 11.

Ebrietas. Hieron. qq. Gen. 43. 34. *Idioma linguae hebraicae est, ut ebrietatem pro satietate ponat*.

Esse in capite, vel *in cauda*, est esse vel fieri primum vel ultimum, seu potentem et dominum; vel infimum et subiectum fieri. Thren. 1. 5, *facti sunt hostes eius in capite*, Item ps. 65. 12. Deut. 28. 13. 44.

Exitus et introitus, vel *ingredi et egredi*, sic simul posita, significant vitae conversationem, actus, negotia. 2. Reg. 3. 25. Deut. 28. 6. 19. Ps. 120. 8.

Filius alicuius, quis dicatur. Vide §. 17.

Frater non semper intelligitur stricte dictus, sed ut notat Hier. contr. Helvid. cap. 8, *quatuor modis in divinis Scripturis fratres dici: natura, gente, cognatione,*

affectu, quod deinde ostendit exemplis. Sic *gente* omnes Iudaei se *fratres* vocant. *Affectu*, omnes christiani in Scriptura, praesertim in actibus apostolorum, et epistolis Pauli, qui et ideo merito se *fratres* nominant, quia filii adoptivi sunt eiusdem patris coelestis, et matris ecclesiae ex aqua et Spiritu S. regenerati. *Cognatione* Laban Iacobum, cuius erat avunculus, vocat *fratrem* Gen. 29. 15. Aliud clarum exemplum habes Levit. 10. 4. Item 1. Par. 23. 22. item *frater* pro socio sumitur 4. Reg. 9. 2. Ioel 2. 8. Iob. 30. 29. *frater fui draconum*. Imo Exod. 26. 3. cortina respectu alterius cortinae sibi iungendae vocatur in hebraeo eius *soror*. Item ubi de squammis *leviathan* habet Vulgata Iob. 41. 8. *una alteri adhaerebit*, in hebraeo est: *vir in fratre suo adhaerebunt*.

Fornicatio in Scriptura vocatur saepissime idololatria, eo quod idololatra, deserto vero Deo, adhaereat creaturae, aut idolis, perinde ac adultera deserens maritum, iungitur adultero.

Funis, funiculus est hereditatis portio, quae alicui obvenit; item sors cuiusque sive bona, sive mala; hinc ducta metaphora, quod funibus solita erant mensurari et distribui praedia inter haeredes, victores, etc. Ps. 15. 6. Deut. 32. 9. Ios. 17. 5.

Gladius et *sagitta* vocatur quidquid laedit, torquet, cruciat.

Gratis saepe idem est quod frustra, et sine causa. Ps. 34. 7. Ioan. 15. 25. Gal. 2. 21.

Graecus in novo testamento tripliciter sumitur. 1. Pro homine nato in Graecia. 2. Pro eo, qui gentilis est religione, aut natione, et sic ponitur tamquam oppositum *iudaeo*, signanter in epist. ad Romanos. Sic *mulier chananaea* a Matthaeo vocata c. 15. 22. dicitur

in Vulgata Marc. 7. 26. *gentilis syrophenissa;* at in graeco ἑλληνὶς σύρα φοινίκισσα, *graeca syrophenices.* Vide etiam Ioan. 7. 25. Ioan. 12. 20. quibus locis est in graeco ἕλληνες, *graeci*, ubi Vulgata vertit; *gentes*, et *gentiles.* Sumitur denique tertio pro Iudaeo sanguine, aut religione, sed nato in Graecia, aut saltem extra Chananaeam. Sic *graecus* distinguitur contra *hebraeum*, et tunc passim in graeco dicitur ἑλληνιστής *graecista.* Ita sumitur Act. 6. 1.

Honestare, et *honorare* pro ditare, et *honestas* pro divitiis habentur Tob. 1. 16. Sap. 7. 11. 13. cap. 8. 18. cap. 10. 11. Eccli. 11. 14, etc.

Humilitas. Item *humilis* saepissime significat abiectum, depressum, *contemptum, vilem,* ut Dan. 3. 37. Clarissime Matth. 23. 12. et Luc. 14. 11. *qui se exaltat, humiliabitur.*

Implere manum, est consecrare in Sacerdotem 3. Reg. 13. 33. Iudic. 17. 5. 12. Imo Ezech. 43. 26. consecrare altare dicitur: *implere manum eius.* Huius locutionis origo est, quod manus illius, qui sacerdos consecratur, ungantur, atque adeo impleantur oleo.

Indui re aliqua, est illam in se recipere, habere, vel possidere. Ps. 92. 1. Rom. 13. 14.

Ingredi et *egredi.* Vide supra V. *exitus.*

Iustificationes vocantur mandata Dei, eo quod observata iustificent, et nemo iustus fiat, aut maneat, nisi ea observet.

Latro pro milite praedatorio sumitur 2. Reg. 4. 2. Iudic. 11. 3.

Legitima, sunt lege aut consuetudine decreta.

Levare manum ordinarie significat iurare, eo quod manu elevata iurare solerent. Gen. 14. 22.

Loqui ad cor, est aliquem consolari. 2. Par. 30. 22. cap. 32. 6. Isaiae 40. 2. Osee 2. 14.

Manus quandoque vocatur littus, vel sinus, vel latus. Ps. 103. 25. *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* Item Eccli. 14. 25. Isaiae 57. 8. etiam saepissime dicitur aliquid fieri per *manum* alicuius, quod per ipsum, ut Gen. 32. 16. Unde Levit. 8. 36. cap. 10. 11. *locutus est Dominus per manum Moysi.* Sic loquitur Scriptura, eo quod manus sit organum organorum.

Medulla. Vide supra V. *Adeps.*

Misericordia et veritas. Hae duae voces simul iunctae significant omne virtutis officium, quod est ad alterum; vel enim est totaliter indebitum, et tunc sub *misericordia* comprehenditur; vel est aliquo modo debitum, saltem ex promissione, fidelitate, coniunctione, et tunc designatur per vocem *veritas.* Vide Gen. 24. 49. Gen. 32. 10. Rom. 15. 8. 9.

Nimis saepe sumitur pro *valde*, *vehementer*. Pro illis adverbiis semper est in hebraeo מאד *meod*, aut potius *mood* monosyllabum. In graeco λίαν, vel σφόδρα, quae indifferenter transferuntur *nimis, valde,* etc.

Novissimus saepius est idem quod ultimus honore, felicitate, aestimatione, v. g. Is. 53. 3. Ierem. 50. 12. Luc. 13. 30. Luc. 14. 9.

Onus apud prophetas est prophetia punitionem, afflictionemque praenuntians. 4. Reg. 9. 25. Is. 13. 1. Ierem. 23. 33. Nahum 1. 1.

Os gladii vocatur eius acies. Sic *percutere, occidere in ore gladii*, Deut. 20. 12. ac alibi saepissime. Tropus inde sumptus est, quod uti ore cibum, sic gladio hostes, eorumque carnes dividimus et comminuimus. Deut. 32. 42, *gladius meus devorabit carnes.*

Pactum salis est pactum firmum; et inviolabile, metaphora inde ducta, quod sal a corruptione conservet. Vide Num. 18. 19.

Panis sumitur frequenter pro quovis cibo, signanter 1. Reg. 14. 24.

Pax passim in Scriptura est idem quod prosperitas, et absentia calamitatis, aut mali. Unde David quaerit ex venientibus de pugna 2. Reg. 18. 29, *estne pax puero Absalom?*

Percutere saepe sumitur pro occidere, ut Exod. 21. 12. Lev. 24. 21. *qui percusserit iumentum, reddet aliud.* Num. 22. Balaam fuste verberat asinam suam, et addit ℣. 29. *utinam haberem gladium, ut te percuterem,* ubi in hebraeo est: *quia nunc occidissem te.*

Pingues vocantur divites, et potentes. Psal. 21. 13.

Ponere animam in manibus, est vitam periculo exponere. Iudic. 12. 3.

Ponere faciem contra aliquem, est ei irasci et velle punire. Levit. 20. 3.

Ponere oculos super aliquem, est ei favere, et velle benefacere. Gen. 44. 21.

Ponere verbum in os alicuius, est ipsum instruere quid loquatur. Num. 23. 5, et 2. Reg. 14. 3. 19.

Portae saepius ponuntur pro forensibus iudiciis, aut saltem pro loco iudicii, eo quod antiquitus, praesertim apud Israelitas, in portis ius diceretur. Thren. 5. 14. Proverb. 22. 22. cap. 24. 7. cap. 31. 23.

Puer ut plurimum designat servum, v. g. Gen. 19. 2. Iudic. 7. 10. Matth. 14. 2. Luc. 1. 54. 69.

Quaerere animam alicuius, est eum velle occidere. Vide *animam quaerere.*

Requirere, praesertim si addatur: *de manu* alicuius, est punire, et vindictam sumere. Gen. 9. 5. 1. Reg. 20. 16. 2. Par. 24. 22.

Revelare aurem alicuius, vel *aperire,* est ei indicare, quod ignorat. 1. Reg. 9. 1. cap. 20. 13.

Sabbatum saepe tota septimana vocatur, unde est illud pharisaei Luc. 18. 12. *ieiuno bis in sabbato.* Hieron. epist. 150. q. 4. *una sabbati dies dominica intelligenda est, quia omnis hebdomada in sabbatum et in primam, et secundam et tertiam et quartam et quintam et sextam sabbati dividitur.* Ita etiam sumitur Luc. 24. 1. Act. 20. 7. 1. Cor. 16. 2.

Semen frequenter prolem et posteros significat.

Species saepe sumitur pro *pulchritudine,* seu *speciositate,* v. g. Sap. 7. 10. cap. 13. 3. Eccli. 11. 2. Psal. 44. 5. Daniel. 13. 56. *species decepit te,* hoc est formositas Susannae.

Suscitare verbum, est prophetiam implere et praestare promissa. 2. Reg. 7. 25.

Testimonia Dei vocantur eius leges et mandata, eo quod sint testes voluntatis divinae, seu testentur quid a nobis fieri velit Deus.

Vasa vocat Scriptura quaevis instrumenta, ut p. 7. 14. *vasa mortis,* instrumenta, quibus mors infertur. Gen. 49. 5. *vasa belli,* arma bellica. Ps. 70. 22. *vasa psalmi.* Et Amos 6. 5. *vasa cantici,* omnia instrumenta musica. Sic Num. 19. 14. *universa vasa,* sunt tota supellex, seu omnia utensilia domus. Ibi in hebraeo est: *omne quod in tabernaculo.* Ibidem ℣. 15. hebraeum כלי *cli* vertitur in Vulgata *vas,* at ℣. 18. *supellex.* Act. 9. 15. *vas electionis,* est electissimum instrumentum.

Verbum saepissime ponitur pro re per verbum significata. Vide §. 11. in fine.

Via, viae, sunt conversatio, actiones. etc.

Videns est propheta 1. Reg. 9. 9. 2. Reg. 15. 27.

CAPUT QUARTUM

MODUS LOQUENDI SCRIPTURAE CIRCA NOMINA PROPRIA, SUBSTANTIVA, ADIECTIVA, TEMPORIS, LOCI

§. 1. NOMEN UNIUS ALTERI TRIBUITUR PROPTER SIMILITUDINEM

Scriptura saepe nomen proprium, vel gentilitium alicui tribuit, non quod ei a parte rei competat, sed propter morum, aut proprietatum similitudinem. Sic Ioannes Baptista propter angelicam vitam, aut saltem propter officium, vocatur Malach. 3. 1. Matth. 11. 10, *angelus*. Moyses ob potestatem etc. vocatur Exod. 7. 1, *Deus Pharaonis*. Prophetae Israelitas impios vocant: *Chananaeos*, *semen Chanaan*, *Amorrhaeos*, *Gomorrhaeos*, *principes Sodomorum*. Vide Isaiae 1. 10. Ezech. 16. 45. Dan. 13. 56. impia Ierusalem *Sodoma* et *Aegyptus* appellatur Apoc. 11. 8. Apoc. 18. 2. Roma *Babylon*. 1. Petr. 5. 13. De Iuda proditore dixit Christus Ioan. 6. 71. *diabolus est;* et iudaeis Ioan. 8. 44. *vos ex patre diabolo estis.*

Sic etiam propter mores vocantur bestiae Luc. 3. 7. *genimina viperarum*. Isaiae 56. 10. *canes muti*. Ierem. 5. 8. *equi facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*. Atque etiam in bonum Apoc. 5. 5. *vicit leo de tribu Iuda*. Gen. 49. 14. *Issachar asinus fortis*. Ibid. ℣. 21. *Nephthali cervus emissus*. In his omnibus est metaphorica locutio, aut subintelligitur nota similitudinis.

§. 2. OFFICIUM ALTERIUS GERENS EIUS NOMINE VOCATUR

Qui alterius officium vel personam gerit, in Scriptura illius nomine appellatur et simpliciter narratur, quasi principalis fuisset. Sic angeli vice Dei apparentes vocantur *Deus*, et dum hi quidquam faciunt, Deus fecisse dicitur, praesertim ille, qui cum Moyse in deserto loquebatur. Eodem sensu Ioannes Baptista dictus est a Christo Matth. 11. 14, *Elias*.

§. 3. EVENTUS EST SAEPE NOMINIS IMPONENDI OCCASIO

Solent in Scriptura hominibus, aliisque rebus ab eventu nomina imponi, quae nimirum significarent factum aliquod praeteritum, vel etiam quandoque futurum, quo casu erat prophetia. Exempla sunt in nominibus *Adam*, *Heva*, *Cain*, *Seth*, *Noe*, *Abraham*, *Isaac*, *Iacob*, *Cephas*, *Petrus*. Item in benedicto nomine Salvatoris nostri, unde angelus Matth. 1. 21. *vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

§. 4. NOMINUM PRONUNTIATIO

Hebraea nomina cum in aliam linguam fit translatio, vix eadem esse apparent, et ordinarie molliori sono efferuntur, quia hebraea lingua stridule sonat et dure. Sic hebraeum יהושע *ihoschuangh*, pronuntiamus: *Iosue*, item *Iesus*. משיח *masschiach*, *messias*, pro צור *tsor* dicimus: *Tyrus*, pro *chasdim*, *chaldaei;* pro *pesach*, *phase* et *pascha;* pro *koraeh*, *core*.

Porro praestat adhaerere pronuntiationi nobis consuetae, tum quia sic fecerunt et maiores nostri et LXX. et Hieronymus et apostoli et evangelistae, ut ex ipso-

rum graecis scriptis patet; tum quia alias oriretur confusio, et invicem non intelligeremus, v. g. si pro *Isaac* diceremus יִצְחָק *jitschak*, ut nunc iudaei punctuant, pro *Isaia*, יְשַׁעְיָהוּ *ieschanghiahou*. Accedit, quod certum sit multa a iudaeis nomina male punctuari. Sic pro *cyrus* כִּירֵשׁ punctuant כּוֹרֶשׁ *chores*, pro *darius* דָּרְיוֹשׁ דָּרְיָוֶשׁ *dariaves*.

§. 5. IDEM HOMO HABET ALIQUANDO PLURA NOMINA

Disce Scripturae consuetudinem, eumdem hominem diversis nominibus nuncupari. Raguel socer Moysi et Iethro dicitur. Gedeon, nullis causis immutati nominis antea praemissis, subito Ierobaal legitur. Osias rex Iudae vicissim Azarias vocatur. Petrus et Simon dicitur, et Cephas. S. Hieron. contra Helvid. Unus igitur idemque homo, aut etiam una eademque res alia, nunc uno, nunc alio nomine vocatur in Scriptura.

Oritur hoc ex quadruplici capite. 1. Quia vere plura nomina propria idem habuit, ut *Iacob* et *Israel*. 2. Quod unum erat nomen, alterum cognomen. Sic idem dictus *Simon* et *Petrus*. Verosimiliter apud Ioannem *Nathanael* est praenomen illius, qui a Matthaeo, Marco, Luca vocatur cognomine *Bartholomaeus*, hoe est *filius Tholmaei*. 3. Quod idem nomen diverso modo pronuntietur, v. g. יהושע *Iosue* et *Iesus*. ישי *Isai* et *Iesse*. 4. Quod significatum nominis attendatur; et sic in diversis linguis idem, materialiter diverso nomine vocatur, v. g. qui syriace *Cephas*, graece *Petrus*. Quae hebraice *tabitha*, graece *dorcas*. Act. 9. 36.

§. 6. NOMINA PROPRIA SAEPE TRANSFERUNTUR SIGNIFICATIVE

Hanc consuetudinem in pluribus locis Scriptura conservat, ut hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat: Bartimaeus filius Timaei Marc. 10. 46. *Tabitha, Dorcas.* Act. 9. 36. Ita s. Hier. in Gal. 4. 6. ad illa *abba, pater*, ubi praemiserat: *abba hebraicum est, id ipsum significans, quod et pater.*

Quia vero in nomine proprio saepe continetur mysterium aliquod, aut congrua significatio, interpretes ne mysterium illud, vel congruentia nominis occulta remaneret, pro nomine proprio hebraico, saepe eius significationem posuerunt, ac si foret nomen appellativum. Sic ps. 75. 3 *factus est in pace locus eius.* Pro *pace* est in hebraeo *salem*, quae vox ibi videtur sumi pro *Ierusalem*, quod satis indicant ibidem sequentia: *et habitatio eius in Sion.* Iob ult. 14. filias suas vocat unam, *Diem*, hebr. *jemima;* alteram, *Cassiam*, hebr. *ketsia;* tertiam, *Cornu-stibii*, hebr. *kerenhappuc.* Ubi Vulgata 1. Par. 7. 18. *soror eius regina*, in hebraeo est: *soror eius Molecheth.* 1. Par. 22. 9. filius Davidi nasciturus dicitur vocandus *pacificus*, ubi in hebraeo, *Salomon.*

Osee 1. 6. vocat filiam suam *lo-ruchama*, id est *absque misericordia*, filium suum ℣. 9. *lo-ammi*, hoc est, *non-populus-meus*, ut transfertur in Vulgata, et ad quod, simili modo interpretantes, alludunt Petrus 1. cap. 2. 10. Paulus Rom. 9. 25. Sophon. 2. 13. Vulgata *ponet speciosam.* Hebr. *ponet Ninive*, quam materialem vocem chaldaeus interpres et LXX, seu Graeci retinuerunt; porro hebraice *Ninive* significat *speciosam.* Michaeae 1. ℣. 10. 11. 12. 14. pro *Aphra*, *Sapir*, *Maroth*, *Aczib*, quae sunt ibi nomina propria urbium, Hieronymus in

Vulgata transtulit: *pulverem, pulcram, amaritudines, mendacia;* quia cernebat prophetam alludere ad significata nominum istarum urbium. Ob eandem rationem illa Proverb. 30. 1. *verba Agur filii Iake*, transtulit: *verba congregantis filii vomentis.* 1. Par. 7. 18. pro *ishod* vertit *virum decorum.* 1. Par. 4. 22. pro *Iokim et viri Chozeba, et Ioas et Saraph,* quae sunt nomina principum, ut ibidem dicitur, et quae materialiter retinuerunt LXX, in Vulgata est: *qui stare fecit solem, virique mendacii et securus, et incendens.* 1. Par. 2. 55, *hi sunt Cinaei, qui venerunt de Calore patris domus Rechab,* in hebraeo et LXX est: *de Chamat patre, etc.* Unde illud *Calore* in Vulgata est nomen proprium.

Ex his exemplis patet quam notanda sit haec regula et quantum deserviat explicationi plurimorum locorum alias difficillimorum. Ordinarie autem dum vox significativa est nomen proprium, seu personam designat, solet in exactioribus Bibliis scribi littera maiuscula.

§. 7. DIVERSA SUNT REGNUM ISRAEL ET REGNUM IUDA

Decem tribus Israel, prout tempore Roboam, et deinceps ab aliis duabus erant distinctae, et sub diverso rege, a prophetis saepe vocantur *Ephraim,* subinde *Ioseph,* quandoque *Samaria,* quia sedes regum decem tribuum, seu regni Israel, erat in Samaria, quae urbs erat tribus Ephraim; et quia de Ephraim filio Ioseph ortus est Ieroboam, qui primus illud schisma fecit. Saepissime quoque vocantur *Israel* vel *Iacob,* quia erant maior pars filiorum Iacobi seu Israelis. Duae vero reliquae tribus Iuda et Beniamin vocantur *Iuda, regnum Iuda, Ierusalem, Sion.* Illa tamen distinctio nominandi non spectatur, nec servatur, nisi in ordine ad hoc schisma.

§. 8. POSITIVUM ALIQUANDO PRO COMPARATIVO PONITUR

Latinus interpres imitatus Hebraeos, qui gradibus comparationis carent, quandoque usurpat positivum pro comparativo, ut ps. 117. 8, *bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*. Ps. 118. 72, *bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti*. Eccli. 16. 4, *utile* (id est utilius) *est mori sine filiis, quam relinquere filios impios*. Eccli. 20. 1, *bonum* (melius) *est arguere, quam irasci*. Item Matth. 18. 8. 9, et cap. 26. 24. et alibi.

§. 9. COMPARATIVUS EXPRIMITUR PER A, VEL AB, AUT EX

Comparationes saepius exprimit hebraeus textus per litteram מ m, praefixam voci significanti rem cum qua fit comparatio, v. g. Eccle. 7. 4, טוב כעס משחוק *tob caam misschehhok*. *Bona ira a risu*, hoc est, *melior est ira risu*, prout in Vulgata rectissime quoad sensum transfertur.

Littera מ m, hoc modo, ut dixi, voci praeposita, significat proprie *a*, vel *ab*, aut *ex*, sed in Vulgata passim, quoad sensum transfertur: *prae*, *plusquam*, *inter*, *super*, *quam*. Exemplum de *quam*, et *super* habes §. praecedenti ex ps. 117. 8, et ps. 118. 72; quibus locis in hebraeo nihil aliud est, quam ista littera מ m.

Aliquando tamen interpres transtulit locutione minus congrua *a*, vel *ab*, aut etiam. *ex*. Sic Isaiae 56. 5, eunuchis legem Dei custodientibus promittit Deus: *dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus*. Hoc est magis optandam felicitatem, quam quod filios et filias haberent. Ezech. 16. 52, *sceleratius agens ab eis, iustificatae sunt enim a te*. Hoc est, sceleratius agens quam illae, iustiores enim fuerunt,

quam tu. Eccli. 24. 39, *a mari* (id est *prae*, seu *plusquam* mare) *abundavit cogitatio eius, et consilium illius ab* (pro *magis quam*) *abysso multa*. Osee 10. 9, *ex diebus Gabaa peccavit Israel*, hoc est, gravius hoc posteriori tempore, de quo loquitur propheta, peccavit populus israeliticus, quam tunc temporis, de quo Iudic. 19. q. d. nunc peccarunt *plusquam* tunc, seu prae diebus illis. Ad illa psal. 138. 6, *mirabilis facta est scientia tua ex me*, ita scribit Bellarminus: *id est, mirabilior, quam ut ego assequi possim. Illud enim* ex me, *phrasi hebraica significat* prae me, *vel* super me, *quod explicat per verba sequentia*: confortata est, et non potero ad eam, *id est*, *praevaluit supra capacitatem meam, sive, elevata est altius, quam ego conscendere possim, ut eam apprehendam.*

Hanc phrasim scriptores, et translatores etiam in novo Testamento servarunt; v. g. Luc. 18 14, *descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, id est, *magis quam ille*, ut rite exponit Origenes contra Celsum. Idem occurrit 2. Cor. 11. 5, et cap. 12. 11. Item iuxta LXX, Gen. 3. 14, *maledictus tu ab omnibus pecoribus terrae*, id est, *prae omnibus* (unde Vulgata *inter omnia*). Quod non advertens s. Ambros. lib. de fuga saec. c. 7, putavit serpentem ab omnibus animantibus maledicendum et diris devovendum, eo quod omnium malorum nostrorum causa extiterit.

§. 10. NEGATIO SAEPE SOLAM COMPARATIONEM IMPORTAT ET TANTUM UNUM ALTERI POSTPONIT

Cum unum per comparationem alteri vult praeferre Scriptura, saepe id quod praefert, affirmat; quod vero postponit, negat, ut sensus sit: non tam hoc, seu, potius hoc, quam illud; v. g. Osee 6. 6, *misericordiam volui, et non sacrificium;* hoc est: misericordiam malo

quam sacrificium. Ps. 21. 7, *vermis et non homo.* Id est: vermi sum magis similis, quam homini. Ioel 2. 13, *scindite corda vestra et non,* hoc est: potius, quam sine cordis compunctione sola *vestimenta vestra.* Nam scindere vestimenta in calamitatibus, aut offensa Dei audita, in usu fuit etiam sanctis antiquae legis, ut *Caleb* et *Iosue.* Num. 14. 6; Ios. 7. 6. Davidi 2. Reg. 1. 11. Imo inde laudatur Iosias, et minas Dei evadit 4. Reg. 22. ℣. 11. 19. E contra Ioakim et principes eius arguuntur, quod auditis Dei minis per Ieremiam denuntiatis, *non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua.* Ierem. 36. 24; Luc. 23. 28, *nolite flere super me, sed super vos ipsas flete:* hoc est: magis vestram, quam meam deflete miseriam. Matth. 10. 20, *non vos estis qui loquimini, sed spiritus, etc.* 1. Cor. 15. 10, *non ego, sed gratia Dei mecum;* id est, magis gratia, quam ego; licet *nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo,* ut exponit Aug. lib. de grat. et lib. arb. cap. 5. Vide etiam 1. Corinth. 1. 17; Exod. 16. 8; Matth. 23. 9; Luc. 5. 32, cap. 10. 20, cap. 12. 44; Act. 5. 4; Ephes. 6. 12. Sic etiam intelligi potest illud Isaiae 63. 16, *Abraham nescivit nos et Israel ignoravit nos, tu Domine pater noster.*

§. 11. SAEPISSIME PONUNTUR ABSTRACTA PRO CONCRETIS

Substantiva pro adiectivis, et abstracta pro concretis in Scriptura ponuntur frequentissime. Sic *regnum coelorum* pro coelesti; *homo pacis* pro pacifico; *viri divitiarum,* divites; *vir sanguinum,* sanguinolentus. Sic etiam *circumcisio* pro iudaeo, *praeputium* pro gentili. 1. Cor. 1. 3, *sanctificatio et redemptio,* est sanctificator et redemptor; *salutare* pro salvatore Luc. 1. 47, et cap. 2. 30. Illud tunc praecipue locum habet, quando abstra-

ctum ponitur in genitivo, pro concreto adiectivo, ut *Deus maiestatis* pro Deo maiestuoso; *mulier virtutis*. Ruth. 3. 11, pro virtute praedita seu forti et strenua. Ioan. 14. 17, *spiritus veritatis* pro veraci. Luc. 16, *villicus iniquitatis* pro iniquo, seu iniusto.

§. 12. ABSTRACTUM PRO CONCRETO INDICAT EXCELLENTIAM

Illa usurpatio abstracti pro concreto, aut substantivi pro adiectivo, quae vocatur *heterosis*, hoc est *alteratio* (unde potuisset supra inter tropos poni) ordinarie indicat excellentiam. Sic *Deus maiestatis*, est Deus maximus et summe venerandus; *spiritus veritatis*, est veracissimus; *mare salis* Gen. 14. 3, est salsissimum. Deut. 33. 28, *terra frumenti et vini*, est fertilissima. Exaggerationem enim indicamus, quoties utimur abstracto pro concreto, aut pro adiectivo ponimus substantivum.

§. 13. POSITIVUM REPETITUM IN GENITIVO, AEQUIVALET SUPERLATIVO

Idem substantivum geminatum, sed semel in genitivo praesertim plurali positum, excellentissimum quid in eo genere, seu summam exaggerationem indicat, obtinetque vim superlativi, quo Hebraei carent. Sic Exod. 29. 37; Levit. 7. 1; Dan. 9. 24, *sanctum sanctorum*, est sanctissimum; *canticum canticorum*, excellentissimum canticum; *vanitas vanitatum*, res summe vana. *In saecula saeculorum*, Isa. 34. 10, in omnia saecula. Phrasi simili promittit Deus Levit. 26. 10, *comeditis vetustissima veterum*.

Idem subinde locum habet etiam in diversis substantivis, dummodo secundum sit in genitivo plurali. Sic ps. 5. 7; ps. 25. 9, *viri sanguinum* sunt maximi homi-

cidae. Ps. 75. 6, *viri diviliarum*, ditissimi. Dan. 11. 17, *filia foeminarum*, pulcherrima. *Viri virtutum*, fortissimi.

§. 14. VOX EADEM GEMINATA DENOTAT EXAGGERATIONEM

Dum idem nomen, adverbium, vel verbum immediate repetitur, seu duplicatur, denotatur excessus, in ea re, de qua est sermo. Sic *amen amen*, idem est quod certissime, verissime. Sophon. 3. 5, *mane mane iudicium suum dabit*, hoc est valde mane, seu admodum celeriter, aut iugiter, et singulis diebus iuxta §. seq. Ezech. 21. 9, *gladius gladius acutus est et limatus*, hoc est terribilis et multiplex instat iudaeis gladius, seu strages. Ezech. 21. 27, *iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*, hoc est, summas ac multiplices iniquitates eius proponam et ostendam omnibus. De verbis geminatis exempla habentur infra cap. 5. §. 14.

§. 15. SUBSTANTIVA GEMINATA IN EODEM CASU PLERUMQUE MULTITUDINEM INDICANT

Vox substantiva in eodem casu geminata, sive interposita particula copulativa, sive non, multitudinem, vel universitatem eius rei indicat. Ut ps. 86. 5, *homo et homo natus est in ea*. Hoc est, multi homines nati sunt in ea, scilicet Ecclesia. Ps. 144. 4, *generatio et generatio laudabit opera tua*, hoc est, multae, vel potius omnes generationes. Ubi Vulgata habet Deuter. 32. 7, *cogita generationes singulas*, in hebraeo est: *considerate annos generationis et generationis*, seu omnium generationum. Illud Ezech. 46. 14. 15, *cata mane mane*, seu, ut in hebraeo est: *in mane, in mane*, idem est ac *singulo mane*, seu *semper mane*, ut eadem hebraea verba transfert Hieronymus ibidem ỳ. 13.

Ezech. 15. 4, *homo homo*, est quicumque. Ioel 3. 14, *populi populi*, omnes populi. Ps. 121, *tribus tribus Domini*, omnes tribus. Frequens est et illud in hebraeo *isch, isch, vir, vir;* hoc est quilibet vir, seu omnes viri. Ubi Vulgata habet Gen. 14. 10, *puteos multos bituminis*, est in hebraeo: *puteos puteos bituminis*. Sic etiam illud ps. 76. 9; ps. 89. 1; Dan. 3. 100, *a generatione in generationem*, est perpetuo. 1. Mach. 4. 59; Zachar. 14. 19, *ab anno in annum*, est singulis annis.

§. 16. SUBSTANTIVA GEMINATA PER ET, QUANDOQUE IMPORTANT DIVERSITATEM

Subinde geminatio vocis interposita particula *et*, non significat multiplicitatem; sed tantummodo duplicitatem, et diversitatem, ut ps. 11. 3, *labia dolosa in corde et corde locuti sunt*, hoc est duplici corde. 1. Par. 12. 33, Vulgata: *non in corde duplici*, ubi est in hebraeo: *absque corde et corde*. Proverb. 20. 10, *pondus et pondus, mensura et mensura;* id est diversa pondera, maius et minus eiusdem nominis, v. g. diversae librae, diversae ulnae. Sic etiam sumitur illud Deut. 25. 13, in hebraeo: *non erit in loculo tuo lapis et lapis, maior et minor*.

§. 17. TERMINUS: IN DIEBUS ILLIS, SAEPE NON CONNECTIT TEMPORA

Mos Scripturarum et utique celeberrimus est, hoc uti locutionis modo: in diebus illis (vel simili) *non solum cum ad praeteritam narrationem aliud continuo tempus adiungitur, verum etiam cum illa narrat, quae post multorum annorum spatia contingunt.* S. Chrysost. hom. 10. in illud Matth. 3. 1, *in diebus illis*, quibus non asserit Matthaeus praedicationes Ioannis contigisse tempore re-

versionis Domini Iesu de Aegypto, quae tamen reversio immediate antea narrata fuerat. Eadem docet idem hom. 77, ad illa Matth. 24, 23, *tunc si quis vobis dixerit, etc*. Item s. Aug. lib. 2, de consensu Evang. cap. 6.

§. 18. ILLA: HODIE, USQUE IN PRAESENS, RESPICIUNT TEMPUS SCRIPTIONIS AUT DICTIONIS, NON LECTIONIS

Animadvertat lector Scripturae s. *idioma: hodiernus dies illius temporis existimandus est, quo historia ipsa contexta est*, ait Hieron. contra Helvid. c. 3. addens: *quod dictum est: usque in diem istum, ad illam referamus aetatem, qua editi, sive conscripti sunt libri.*

Dum igitur quidquam dicitur esse, aut fuisse *usque hodie, usque in praesens, usque in praesentem diem;* non asseritur ita adhuc esse quando talia iam leguntur; sed solummodo adhuc ita fuisse, dum liber primitus scriberetur, aut persona hoc referens, loqueretur. Vide Gen. 15. 16; Gen. 22. 14; 1. Reg. 5. 5; Iudith 14. 6; Eccli. 47. 8; Matth. 27. 8.

Quando autem dicitur: *sicut est dies haec*: vel: *secundum diem hanc*, qui termini saepius habentur in Scriptura, ut Ierem. 11. 5, et 44. 6; Dan. 5. 15. sensus est: sicut hodie apparet, nempe dum haec dicebantur aut scribebantur.

§. 19. CRAS PRO FUTURO PONITUR; HERI PRO PRAETERITO

Cras in Scripturis saepe futurum tempus intelligitur, dicente Iacob, Gen. 30. 33, *exaudiet me cras iustitia mea.* Hieron. lib. 1. in Matth. 6, qui alia exempla allegat epist. 147, ad Amandum. Vide Exod. 13. 14; Deuter. 6. 26; Iosue 4. 6. 21.

E contra *heri*, et praesertim *heri et nudiustertius* denotat tempus praeteritum, etiam quandoque satis remotum. Gen. 31. 2; Exod. 4. 10; Exod. 21. 29; Deuter. 18. 4; 2. Reg. 3. 17; 2. Reg. 5. 2.

§. 20. AETERNUM SAEPE NON SUMITUR RIGOROSE

Locutionis est Scripturarum, ut aeternum appellet, cuius rei finis non constituitur, aut non ita fit, ut deinceps non sit faciendum, quantum pertinet ad curam, vel potestatem facientis, sicut ait Horatius: serviet aeternum, qui parvo nesciat uti; non enim potest in aeternum servire, cuius vita ipsa, qua servit, aeterna esse non potest. Aug. q. 31. in Gen. Unde hae voces: *aeternum, sempiternum, in saeculum, non amplius, non ultra*, saepe non significant absolutam aeternitatem, sed longum aliquod tempus, maxime si eius ignoretur finis: hebraeum enim *olam, aeternum*, significat saeculum, qua occultum est, seu cuius absconditus est terminus, ab עלם *alam, abscondit, occultavit.* Sic non pro stricta aeternitate sumitur Gen. 13. 15, *omnem terram quam conspicis tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum.* עד עולם *ad olam, usque in saeculum.*

Aeternum dicitur frequenter non absolute, sed respective pro integra rei duratione, quae aeterna est non absolute, sed respectu certi status, reipublicae, etc. Ita lex vetus dicitur aeterna, nempe duratura usque ad novam, et ex se non cessatura 1. Par. 15. 2, et 1. Mach. 2. 54; eo modo, quo etiam lex definitur: *praeceptum stabile, etc.* Istud ita esse patet ex eo, quod alibi eadem Scriptura dicat legem veterem abolendam, eique subrogandam novam et evangelicam ut patet Ierem. 31. a ℣. 32.

Sic etiam totum tempus futurum usque ad finem

mundi, dicitur *aeternum* ps. 118. 89, et tempus vitae praesentis vocatur *aeternum: in aeternum non obliviscar, etc.* S. Bonav. ad illa ps. 118, *in aeternum Domine*, ait art. 4. *non quod imperetur in aeternum, aut observetur in aeternum, sed quia quamdiu imperabitur, tamdiu observabitur.* Item in Eccle. 1. 4, *aeternum dicitur multipliciter; uno modo quod non habet finem in Scriptura praescriptum. Sic data fuit filiis Israel terra promissionis in possessionem aeternam.... Tertio modo, cuius significatum numquam finitur; sicut sacerdotium legis, quod figurabat sacerdotium Christi.* Similiter a parte ante dicitur *aeternum*, quod est antiquum, v. g. psalm. 75. 5, *montes aeterni.* Psal. 76. 6. *anni aeterni.* Deut. 33. 15; Prov. 29. 24; Ps. 47. 9; Dan. 9. 3; Soph. 2. 9.

In saeculum subinde pro notabili tempore ponitur, etsi non adeo longo: ut pro tempore usque ad iubilaeum. Exod. 21. 6, *erit ei servus in saeculum. Id est, usque ad annum quinquagesimum*, ait Hieron. in Gal. 1.

Saeculum saeculi frequentius designat aeternitatem, sed *saecula saeculorum* semper. Vide supra §. 13.

Illud Ezech. 26. 14, de Tyro: *non aedificaberis ultra;* designat longum tempus, nam postea est reaedificata, iterumque ab Alexandro magno vastata. Sic etiam non est absolute sumendum illud *ultra.* Is. 2. 4, *non exercebuntur ultra ad praelium.*

§. 21. DONEC ET USQUE NON SEMPER FINEM IMPORTANT

Nota ex Hieron. contra Helv. c. 3, *Donec et Usque in Scripturis sanctis dupliciter intelligi. Saepe certum tempus significat, saepe infinitum, ut est illud quod Deus ad quosdam loquitur in prophetis: ego sum, ego sum, et donec senescatis ego sum. Numquid postquam illi senuerint Deus*

esse desistet? et Salvator in Evangelio ad apostolos: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, etc. Ergo post consummationem saeculi, a discipulis suis Dominus abscedet, et tunc quando in duodecim soliis iudicaturi sunt duodecim tribus Israel, Domini consortio fraudabuntur? Paulus quoque apostolus Corinthiis scribens 1. cap. 15. 25, ex ps. 109. 1, *oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos, etc. Numquid tam diu regnaturus est donec incipiant inimici esse sub pedibus, et postquam illi sub pedibus fuerint, regnare desistet? Cum utique tunc magis regnare incipiet, cum inimici coeperint esse sub pedibus. David quoque* ps. 122. 2, *sicut oculi servorum.... donec misereatur nostri. Ergo tam diu prophetae oculos habebit ad Dominum, quamdiu misericordiam impetret, et post impetratam misericordiam oculos torquebit in terram?* Vide etiam Isa. 22. 14, et Gen. 8. 7, *corvus non revertebatur* ad arcam, *donec siccarentur aquae*, ubi non indicatur eum siccata terra reversum, nam tunc multo certius reversus non est.

§. 22. ANTEQUAM ET PRIUSQUAM NON SEMPER ASSERUNT QUID POSTEA FACTUM SIT

Helvidius inferebat ex *antequam*, et *priusquam* Matth. 1. Deiparam post Christi nativitatem a Iosepho fuisse carnaliter cognitam; sed ipsi respondet Hieron. lib. contra Helv. c. 1: *doleamne, an rideam, nescio. Imperitiae arguam, an temeritatis accusem? quasi si quis dixerit: Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est: statim sit Helvidio poenitentia agenda post mortem, cum Scriptura dicat: in inferno quis confitebitur tibi? ac non potius sit intelligendum, quod* ante *praepositio, licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnumquam ea tantum quae prius cogitabantur, ostendat; unde nec necesse sit, ut*

cogitata fiant, cum aliud ideo intervenerit, ne ea, quae cogitata sunt, fierent. Igitur cum Evangelista dicat: priusquam convenirent, *proximum nuptiarum tempus ostendit, et in eo iam rem fuisse, ut, quae prior sponsa fuerat, esse uxor inciperet, quasi dicat: antequam oscula, amplexusque miscerent, antequam rem agerent nuptiarum, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

§. 23 PLAGAE ORBIS DESIGNANTUR CUM RESPECTU AD IERUSALEM

In Scriptura *oriens, occidens, meridies, aquilo* seu *plagae orbis, quas Graeci appellant climata, iuxta situm Ierusalem intelliguntur, ac templi.* Hier. in illud Zachar. 2. 6, *fugite de terra aquilonis.* Sic Dan. 11. praedicuntur *reges austri*, hoc est Aegypti, quae respectu terrae sanctae, et Ierusalem est australis, conflicturi cum *regibus aquilonis*, seu Syriae, puta Ptolomaei cum Antiochis. Item Num. 21. 1, *Chananaeus rex Arad, qui habitabat ad meridiem*, non respectu loci, in quo tunc Hebraei existebant, quia sic potius; seu respectu illius ad septentrionem habitabat; sed intelligitur habitasse in meridionali parte terrae Chanaan.

§. 24. MARE PRO OCCIDENTE PONITUR

Quod autem in omnibus Scripturis legitur, hic semel dixisse sufficiat; mare semper pro occidente poni, ab eo quod Palaestinae regio ita sita sit, ut mare in occidentis plaga habeat. Hieron. q. q. Gen. cap. 13. 14. vide Deuter. 33. 23. Quandoque tamen, sed rarissime *mare* australem plagam significat; sed tunc sumitur pro mari Rubro, quod respectu Chananaeae est meridionale. Sic accipi videtur ps. 106. 3, *a solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari.*

§. 25. DEXTERA MERIDIEM SIGNIFICAT, SINISTRA AQUILONEM

Dum simpliciter in Scriptura, tamquam loci situs nominatur *dextera*, vel *sinistra*, videtur iste situs designari respectu hominis stantis versa facie ad orientem, atque adeo *dextera* meridiem, *sinistra* designare aquilonem. Colligitur hoc ex Ezech. 16. 46. alloquente Ierosolymam, *soror tua maior Samaria, quae habitat ad sinistram tuam, soror autem tua minor, quae habitat a dextris tuis Sodoma. Hoc* (ait Hier. ad illa) *etiam secundum intelligentiam corporalem, si de templo Ierusalem, orientem aspicias, approbabis.* Ut enim notavit Lyranus, erat Samaria ad aquilonem respectu Ierusalem; mare autem mortuum, ubi fuerat Sodoma, vergebat ad meridiem eius. Idem clare patet Ezech. 47. 1, *aquae descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.* Dextrum igitur latus erat meridionale.

CAPUT QUINTUM

MODUS LOQUENDI S. SCRIPTURAE CIRCA VERBA

§. 1. DEUS DICITUR FACERE, QUOD TANTUM PERMITTIT

Damasc. lib. 4. de Fide cap. 20, *operae pretium est agnoscere, moris esse divinae Scripturae, permissionem Dei, actionem eius vocare;* Id probat exemplis ex Rom. 9. 21. et 2. Tim. 2. 20, de vasis in honorem et contumeliam factis, ac *dilucidum esse* reflectit, eo quod ibid. subdatur ℣. 21, *si quis ergo emundaverit se ab ipsis, erit vas in honorem.* Adducit etiam illa Rom. 11. 32, *conclusit Deus omnia in incredulitate.* Item ista Rom. 11. 8, *dedit eis*

Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, etc. subditque: *haec omnia non ut a Deo agente accipienda, sed ut Deo permittente ob liberam agendi facultatem, quod sine violentia bonum esse debeat. Permissionem igitur eius, ut actionem et operationem eius dicere consuetum est Scripturae.*

Etenim illa Deo multa tribuit, quasi ipse ista faciat, ut est excaecatio, obduratio, peccata ipsa, quae tamen nullo modo sunt Deo tribuenda tamquam auctori, et impulsori, possunt tamen improprie aliquo modo ipsi tribui. 1. In quantum homines creavit, et instruxit operandi potentia, quam ipsi male applicant. 2. Ut permittenti, cum Deus ea praevideat futura, atque impedire possit, nec tamen impediat; quia tamen illa non tenetur impedire, imo ordinatissima eius providentia plerumque exigit, ut ipse ea permittat, (*melius enim iudicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.* Aug. Enchir. c 27.) ideo ei improprie tribuuntur, ut factori.

Tertio, quia Deus saepe aliquid facit, vel quasi facit, unde illa ipsa consequuntur, et ex quo illa secutura praevidit; iustissime tamen illa facit, neque ea intentione, ut ista peccata eveniant, sed alio occulto, attamen aequo iudicio, sicut cum subtrahit gratiam propter praecedentia peccata, vel aliquid facit, ex quo impii ulterius peccandi, aut sese obdurandi occasionem sumunt.

Itaque loca in quibus Scriptura de Deo dicit: *excaecavit, obduravit, etc.* vel explicanda sunt: *occasionaliter,* hoc est: fecit aliquid, ex quo obduratio est secuta; vel *permissive*, id est obdurari permisit.

§. 2. CAUSA VOCATUR, QUAE MERA EST OCCASIO, AUT EVENTUS

Idem Damasc. lib. 4. de Fide c. 20, *et hoc animadvertendum est, quod mos s. Scripturae est, quaedam, quae secundum eventum debent intelligi, causaliter dicere*, ut illud ps. 50. 5, *tibi soli peccavi, et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris. Non enim peccavit homo, ut vinceret Deus, quod peccavit, neque indigebat Deus nostro peccato, ut ex illo victor appareret; sed quia nobis peccantibus non iniustus est afferens iram suam, et poenitentibus parcens, victor mali nostri demonstratur: non ad hoc autem nos peccamus, sed ita evenit res.*

Sic procedit Scriptura, eo quod ita soleant homines loqui, ut eventum undecumque provenientem vocent effectum, et occasionem illius appellent causam, ut etiam ibidem Damascenus notavit. Sic Gen. 43. 6, ait Iacob: *in meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei, etc.* Non enim filii Iacob hanc patris miseriam intenderant, sed ea ex verbis illorum aliud intendentium occasionaliter erat secuta.

Hoc sensu intelligendum et istud Exod. 5. 22, *Domine, cur afflixisti populum istum?* Sic etiam frequenter dicitur hoc, vel illud factum, *ut impleretur quod dictum est*, vel, *ut adimpleretur Scriptura.* Item: *non poterant credere, quia scriptum est, etc.* Non quod prophetia sit vera causa horum eventuum; nam illa non fiunt, quia praedicta sunt, sed potius sunt praedicta, quia Deus illa futura decreverat, vel noverat, iuxta Hieron. sup. cap. 2. §. 34. Haec ergo et similia solum denotant, talia ante praedicta fuisse, illamque prophetiam nunc esse impletam.

Exod. 11. 9, *non audiet vox Pharao, ut multa signa fiant.* Illud *ut* non denotat causam, aut intentionem Pharaonis: sed tantum quid consequetur, q. d. non audiet vos, ex quo fiet, ut multiplicem signa mea. Sic quoque Rom. 5. 20, *lex subintravit ut* (id est occasione qua factum est ut) *abundaret delictum.* Vide pariter Ierem. 18. 16; Ierem. 27. 10. Hinc ad illa Ioan. 17. 12, *ut Scriptura impleatur*, ita scribit s. Bonaventura: *haec dictio* ut *non est nota causae, sed consequentiae, unde Chrysost. Hom.* 80, *non propterea periit, ut impleretur; hic enim proprius modus Scripturae est, ut quae eventus sunt, pro causa ponat.*

§. 3. OPTATIVUM ITEM IMPERATIVUM SAEPE PONITUR PRO FUTURO. E CONTRA FUTURUM PRO IMPERATIVO

Sanct. Aug. lib. 1. de serm. Dom., *prophetae solent figura imprecantis futura praedicere.* Ps. 78. 6, *effunde iram tuam, etc. Ista prophetatio est, non optatio; non malevolentiae voto ista dicuntur, sed spiritu praevisa praedicuntur, sicut de Iuda traditore, quae mala illi fuerant pro meritis suis eventura, ita prophetata sunt, quasi optata sint* ps. 108. *Quemadmodum enim propheta non imperat Christo, quamvis modo imperatorio pronuntiet, ps.* 44. 4. *Accingere gladio tuo; ita non optat, sed prophetat, qui dicit: effunde iram tuam, etc.*

Sic pariter illud Zachar. 13. 7, *percute pastorem*, non imperative dictum esse, aut optative, sed prophetice, ostendit Christus Matth. 26. 31, *omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista; scriptum est enim: percutiam pastorem, et dispergentur oves.* Etiam illa: quae habentur Isaiae 6. a ℣. 9, imperative dicta de excaecatione populi: *audite audientes, et nolite intelligere, excaeca*

cor populi huius, etc Christus Matth. 13. 14, et Paulus Act 28, 26, quasi in futuro dicta sint referunt: *auditu audietis et non intelligetis, etc.* In similibus proinde imperativum ponitur pro futuro.

E contra futurum saepe ponitur pro imperativo in consiliis et praeceptis: ut *facies* pro *fac*, *loqueris*, pro *loquere*, id quod maxime in negativis usuvenit, v. g. *non facies tibi sculptile, non occides, non moechaberis.* Levit. 6. 18, *omnis qui tetigerit illa sanctificabitur*, hoc est, quicumque illa contingere voluerit, prius debet sanctificari, seu ab immunditia legali, si quam contraxerit, purificari.

§. 4. PRAETERITUM PRO FUTURO, AUT PRAESENTI PERFECTUM PRO PLUSQUAM PERFECTO

Prophetae figura praeteriti temporis, ea quae ventura erant saepe cecinerunt, sicut est illud ps. 2. 1, *quare fremuerunt gentes; cum ea non quasi transacta meminisset, sed futura prospiceret. Tale etiam est illud* ps. 21. 16, *diviserunt sibi vestimenta mea, etc. Et hic enim non dixit: divident.* Aug. lib. 1. serm. Dom. Idem epist. 80. *quale etiam est illud* ps. 21. 17, *foderunt manus meas et pedes meos; quod tam longe postea actum novimus.*

Hac figura, hoc est enallage temporis praeteriti pro futuro, prae ceteris utuntur prophetae, propter certitudinem eventus. Rationem dat Origenes hom. 5. in ps. 36, *apud Deum omnia quae futura sunt, iam pro factis habentur.* Ob hanc ergo rationem isto loquendi modo utitur Deus, praesertim in prophetiis praedestinationis.

Praeteritum pro praesenti habes Matth. 23. 2, *super cathedram Moysi sederunt*, pro *sedent*, et alibi.

Praeteritum perfectum etiam saepe ponitur pro plusquam perfecto; quo carent Hebraei, ut Gen. 2. 18;

Gen. 31. 34; Exod. 4. 19; Ios. 2. 6; Baruch 1. 9; Ionae 1. 5; Ion. 3. 6; 3. Reg. 9. 14, *misit Hiram*, et Ioan. 18. 24, *misit eum Annas*, pro *miserat*.

§. 5. IMPERATIVUM PRO OPTATIVO. PARTICIPIUM PRO PRAESENTI. PARTICIPIUM, VEL VERBUM PRO ADVERBIO

Bonaventura in ps. 148, *imperativus ponitur quandoque optando, ut hic; miserere mei Deus*. Item Matth. 6. a ℣. 9, *Pater noster, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum, etc.* Cant. 1. 1, *osculetur me*, pro utinam hoc fiat.

Participium pro praesenti vel imperfecto habes 1. Cor. 12. 2, *ad simulacra euntes*, pro *ibatis*. 2. Cor. 10. 12, *metientes, comparantes*, pro *metimur, comparamus*.

Participium, vel verbum, *convertor, reversus, adiicio, etc.* pro adverbiis *rursus, iterum, etc.* Ps. 77. 41, *conversi sunt et tentaverunt Deum*, hoc est: iterum tentaverunt. Ps. 84. 7, *Deus tu conversus vivificabis nos*, hoc est: rursum vivificabis. Isaiae 6. 13, *convertetur et erit*, id est, iterum erit. Ps. 40. 9, *numquid qui dormit, non adiiciet, ut resurgat*, hoc est; ut iterum resurgat. Vide etiam Iob. 10. 16; Act. 15. 16.

§. 6. VERBUM COMPLETUM QUANDOQUE TANTUM SIGNIFICAT INCHOATIONEM, AUT ATTENTATIONEM: ET E CONTRA

Verba non semper in actu perfecto sumenda sunt, sed subinde in fieri, seu actu continuato, subinde pro actu tantum inchoato, vel attentato, ita ut *facere* sit idem quod conari, moliri, incipere aliquid facere.

Sic dicitur de maleficis Aegyptiorum Exod. 8. 28. *fecerunt*, pro facere tentarunt, nam ut ibidem sequitur:

non potuerunt. Marc. 1. 26, *discerpens eum spiritus immundus*, hoc est, deiiciens, contorquens, dilaniare, seu discerpere conatus; nam quod daemon non dilaniaverit actu energumenum istum, patet ex Luc. 4. 35; *nihil illum nocuit.* Eadem phrasi dicit Deus Abrahamo Gen. 22. 16, *quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito;* et Paulus Hebr. 11. 17, *obtulit Abraham Isaac.* Gen. 7. 10, *aquae inundarunt*, pro inundare coeperunt. Hinc etiam toties in Scriptura dicitur *beatus*, qui talis vel talis est, aut hoc vel istud fecerit, nempe inchoative. Luc. 1. 68, *fecit redemptionem plebis suae*, id est, redimere incoepit, quia complete tantum redemit per mortem suam.

E contra aliquando inchoatio actus pro ipso actu, ut Cant. 1. 6, *ne vagari incipiam*, pro ne divager. Luc. 13. 25, *incipietis foris stare*, pro stabitis. Apoc. 3. 16, *incipiam te evomere*, pro evomam te.

§. 7. VERBA REALIA PRO VOCALIBUS, AUT MENTALIBUS

Verba realia saepe ponuntur pro mentalibus, vel vocalibus. Levit. 13. 6, 11. 20, 27. 30, *mundabit*, et *contaminabit*, significant mundum vel contaminatum pronuntiabit, Levit. 20. 8. c. 21. 8, 15. 23, *ego Dominus, qui sanctifico vos*, hoc est, qui iubeo vos esse sanctos. Ierem. 1. 10, *constitui te super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes;* hoc est: ut praedices, et praedicas has gentes esse evellendas et destruendas, illas, vel etiam priores, iterum postea aedificandas et plantandas fore.

Isa. 6. 10, *excaeca cor populi huius*, hoc est, praedica eum sua malitia excoecandum. Luc. 1. 46, *magnificat*, est magnum laudat, et praedicat. Habes 3. Reg.

8. 32; ps. 81. 3; Matth. 12. 37; Luc. 10. 26, *iustificare*, pro iustum ostendere. Illud autem Luc. 7. 26, *iustificaverunt Deum;* idem est ac iustum praedicaverunt et laudaverunt. Gal. 3. 22, *conclusit Scriptura omnia sub peccato*, significat: ostendit conclusos esse omnes homines, conformiter ad Rom. 3. 9, Christus ait proditori Iudae Ioan. 13. 27, *quod facis, fac cito*, hoc est: quod facere cogitas, seu moliris.

§. 8. VERBA VOCALIA, VEL MENTALIA PRO REALIBUS

Vice versa quandoque verba mentalia, vel vocalia sunt accipienda pro realibus, ut *vocari* pro esse, ut cum Christus dicitur Isaiae 7. 14, vocandus *Emanuel*, hoc est futurus. Et cap. 8. 3, appellandus: *accelera spolia detrahere, festina praedari*, id est: erit celer hostium spoliator, et festinus eorum praedator. Ierem. 4. 12, *loquar iudicia mea cum eis*, significat: infligam eis iustam poenam. Sic etiam Luc. 1. 32, Christus dicitur *vocandus*, hoc est futurus *filius Altissimi*, et ℣. 52. *filius Dei.*

§. 9. VERBA, PARTICIPIA, ADIECTIVA ACTUALIA PRO HABITUALIBUS

In Scriptura frequenter aliqui hoc vel illud agere dicuntur, non quod actu hoc faciant, sed quod istud faciendi habeant vel consuetudinem, vel facultatem, vel obligationem: unde talia verba, participia, adiectiva actualia, ponuntur pro habitualibus. Sic Num. 2. 4, *summa pugnantium* 74600; non quod hi tunc actu pugnarent, sed quod si opus esset, pugnare possent, utpote viri fortes. Sic pariter Num. 1. 20. 22. *procedentium ad bella*, non quod actu procederent, sed quod tales essent, qui procedere possent. 1. Reg. 22. 18,

Saul occidi iussit *octoginta quinque viros vestitos ephod lineo*, quo non significatur, hos sacerdotes illo ipso tempore, quo occidebantur, indutos fuisse ephod, quandoquidem vestimento hoc tantum possent uti in functionibus sacris, sed quod eo essent vestibiles, seu illo indui possent et deberent congruo tempore et loco; ista enim phrasi indicat Scriptura, illos omnes fuisse sacerdotes aut levitas.

Sic etiam habentur 1. Par. 21. 5, *mille millia et centum millia virorum educentium gladium;* non qui actu educebant; sed qui apti erant ad bellum, et qui possent cum fructu gladium educere, ubi opus fuisset. Ita etiam de levitis saepe dicitur, *qui portant vasa Domini*, hoc est: quorum est portare.

Eodem sensu dixit Virgo deipara Luc. 1. 34, *virum non cognosco*, hoc est; cognoscere non possum, utpote praepedita voto castitatis. Tit. 1. 2, *qui non mentitur Deus*, hoc est: qui mentiri nequit, seu, qui est *immendax*, ut est in Graeco ἀψευδής. Ex hoc §. etiam patet qualiter Christus dicatur Agg. 2. 8, *desideratus cunctis gentibus:* nempe summe *desiderabilis*, meritoque expetendus ab omnibus.

§. 10. VERBA QUANDOQUE DUPLICEM ACTIONEM IMPORTANT

Saepe verba activa in Scriptura sunt exponenda per duplicem actionem more coniugationis hebraicae, quae dicitur *hiphil*. Sic psalmo 51. 7, *emigrabit te*, est, emigrare te faciet. Sic etiam exponendum illud Thren. 4. 22, *non addet, ut transmigret te*. Osee 8. 4, *ipsi regnaverunt*, significat: regem sibi constituerunt. Ionae 3. 7, *clamavit rex*, hoc est: clamare fecit per praeconem. Rom. 8. 26. *Spiritus postulat pro nobis*, id est: postulare nos facit: unde s. Aug. de corr. et grat. c. 15, *misit*

spiritum filii sui, clamantem: abba Pater, id est, *nos clamare facientem.* Ubi Vulgata habet Gen. 2. 5, *non enim pluerat*, in hebraeo est: *ki lo himtir. Quia non pluere fecit*, seu *fecerat Deus.*

Illud Luc. 2. 17, *cognoverunt*, videtur omnino sic exponendum: cognoscere fecerunt, hoc est, annuntiarunt. Hinc V. Beda ad Act. 1. 18, *more sacri eloquii possedit, dictum est pro: possidere fecit, sicut b. Iob ait* c. 9. 31. *abominabuntur me vestimenta mea*, id est: *abominabilem me reddent.* Sic etiam, ut notat s. Aug. de Gen. ad litt. c. 9. multa in Scripturis dicuntur Deo accidere, non aliter, quam quia Deus facit ut illa nobis accidant.

§. 11. VERBUM DEPONENS PRO PASSIVO

Verba deponentia, hoc est illa, quae in terminatione passiva habent significationem activam, ut *osculor, admiror*, et similia, in Vulgata latina quandoque sumuntur in significatione passiva, quasi essent derivata a verbis forma et significatione activis, v. g. Hebr. 13. 16, *talibus hostiis promeretur Deus;* hoc est: talium operum merito Deus acquiritur, seu obtinetur. Luc. 16. 25, *nunc hic* Lazarus *consolatur, tu vero* dives epulo *cruciaris;* id est: tu poenam, ille consolationem recipit. Eodem sensu varii explicant illud 1. Reg. 26. 20, *sicut persequitur perdix in montibus*, quasi esset passivum ab activo *persequo*, ut sensus sit: sicut perdix persecutionem patitur ab aucupe, dum haec ab ipso avide ac studiose quaeritur, ut capiatur, etiam per praerupta montium.

§. 12. VERBUM EST SAEPISSIME OMITTITUR

Verbum substantivum *est* in Scriptura frequentissime omittitur, sed subintelligendum venit, v. g. ps. 117.

14, *fortitudo, et laus mea Dominus.* Cant. 2. 1, *ego flos campi.* Istud quamvis etiam in aliis linguis saepius occurrat; tamen usitatissimum est in hebraeo, cum in illa lingua (exceptis admodum raris casibus, ut ps. 7. 4.) semper reticeatur, et solummodo subintelligatur istud verbum *est.*

Tunc regulariter debet subaudiri, quando adiectivum praecedit substantivum, ut ps. 47. 2, ps. 146. 5, *magnus Dominus*, hoc est: *magnus est Dominus.* Interpres noster saepissime verbum istud supplevit. Sic ubi Vulgata habet Gen. 27. 18. 19, *quis es tu, fili mi? dixitque Iacob: ego sum primogenitus tuus Esau;* in hebraeo est: *quis tu fili mi? et dixit Iacob: ego Esau primogenitus tuus.* Sic pariter 2. Tim. 3. 16, *omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est, etc.* Manifeste subauditur *est* in graeco, quo scripsit Apostolus: πᾶσα γραφὴ Θεόπνευςος, καὶ ὠφέλιμος. *Omnis Scriptura divinitus inspirata et utilis, etc.* Sic etiam omittitur *est*, solumque subauditur in ipsa forma calicis graeca, Luc. 22. 20, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἅιματί μου. *Hic calix novum testamentum in sanguine meo.* Unde in puro hebraeo forma consecrationis corporis est זה גוי *ze gevi, hoc corpus meum.* Sanguinis autem זה דמי *ze dami, hic sanguis meus.* Prout etiam in textu syriaco Matthaei in utraque forma omittitur *est*, sed tamen subauditur; nam teste Salmerone tom. 4. tract. 17. ibidem habetur: *anau pegri, anau demi. Hoc corpus meum, hic sanguis meus.*

§. 13. EST ALIQUANDO PONITUR PRO SIGNIFICAT

August. q. 57. in Levit., *solet res quae significat, eius rei nomine, quam significat nuncupari, sicut scriptum est* Gen. 41. 26, *septem spicae septem anni sunt; non enim dixit: septem annos significant. Et septem boves septem*

anni sunt et multa huiusmodi. Hinc est quod dictum est 1. Cor. 10. 4, *petra erat Christus; non enim dixit: petra significat Christum; sed tamquam hoc esset, quod utique per substantiam hoc non erat, sed per significationem*. Gal. 4. 24, *haec enim sunt* (id est, significant) *duo testamenta*. Unde verbum *est* aliquando sumitur pro *significat*, idque ideo, quia tota essentia signi, quantum signum est, in significatione consistit.

§. 14. VERBUM GEMINATUR PRO EXAGGERATIONE

Exaggerationem in faciendo, aut asseverando per verba, solet Scriptura exprimere duplici modo. Primo verbum geminando, semel in gerundio (ut plerumque fit in hebraeo) vel participio et semel in alio tempore positum, v. g. Act. 2. 30, *iureiurando iurasset*. Act. 5 28, *praecipiendo praecepimus*. 1. Reg. 26. 25, *faciens facies et potens poteris;* hoc est: certo successu facies et potentissimus eris, ac quidquid occurrerit difficultatis, superabis. Vide etiam ps. 117. 18; Thren. 1, 2; Isa 24. 19. 26. Habes etiam Gen. 2. 17, *morte morieris*; Osee 1, 6, *oblivione obliviscar:* Luc. 22. 15, *desiderio desideravi*. Ubi vides nomen conforme verbo, loco duplicati verbi positum. Vide supra cap. 4. §, 13. 14.

Secundo per negationem contrarii, assertioni subnexam, ut Is. 38. 1, *morieris et non vives*: hoc est: certissime morieris. Thren. 2. 17, *destruxit et non pepercit*. Ezech. 18. 21, *vita vivet et non morietur*. Luc. 1. 32, *regnabit in aeternum et regni eius non erit finis*. Ioan. 1 20, *confessus est et non negavit*.

CAPUT SEXTUM

DE VARIA PERMUTATIONE PRAEPOSITIONUM CONIUNCTIONUM ETC.

In sacra Scriptura coniunctiones, praepositiones, similesque particulae, frequenter non sumuntur proprie; sed per enallagen una ponitur pro altera, cuius rei notitia valde necessaria est pro recta Scripturae intelligentia. Permutationis illius exempla plurima indicat Emmanuel Sa, in *phrasibus Scripturae.* Nos praecipua paucis damus.

§. 1. A ET AB QUID ALIQUANDO IN SCRIPTURA SIGNIFICENT

Diximus cap. 4. §. 9. *a* et *ab* in Scriptura saepius esse notas comparationis, quibus nimirum unum alteri praeferatur; unde tunc significant id, quod *prae*, *plusquam*, aut his aequivalentes particulae. Exempla invenies dicto §. 9.

Quandoque sumitur *a* vel *ab* pro *propter*, ut ps. 106. 34 *terram fructiferam in salsuginem, a malitia habitantium in ea;* id est: propter malitiam. Similiter in hebraeo est *a* seu מִן *min*, ubi aliquoties Vulgata habet *propter*, ut ps. 11. 6, *propter miseriam inopum.* Prov. 20. 4, *propter frigus piger arare noluit.*

Aliquando *a* sumitur pro *apud*, *coram*, vel *ad*, v. g. Eccli. 41. 22, *erubescite a patre et matre,* hoc est: coram patre et matre. Exod. 33. 6. *a* (id est apud. iuxta, vel ad) *monte Horeb;* item Ezech. 30. 6; Baruc. 4. 27.

§. 2. QUANDOQUE SUMITUR AD PRO DE

Aliquoties in Vulgata *ad* idem valet quod *de*, ut 2 Reg. 3, *Dominus locutus est ad David*, hoc est, *de David.* Hebr. 1. 7, *et ad angelos quidem dicit: qui facit angelos suos spiritus;* id est, *de angelis.* Hebr. 4. 13, *ad quem*, pro *de quo, nobis sermo.* Item, Ierem. 22. 11; Ier. 27. 19. 21; Luc. 19. 9; Rom. 10. 21; Iob. 34. 31.

§. 3. DE SUBINDE PRO PROPTER, QUANDOQUE PRO EX

Latinum *de* dum ei respondet hebraeum *min*, hoc est *a*, *ab*, sumitur aliquando pro *propter*, ut Ioan. 10. 33, *de bono opere non lapidamus te*, hoc est, propter bonum opus, *sed de blasphemia*, hoc est, propter tuam blasphemiam. Eodem sensu habetur Habac. 2. 17, *de sanguinibus et iniquitate.* Item Deuter. 32 42, *de cruore occisorum et de captivitate, etc.* quod verosimilius exponendum ita; propter effusum Israelitarum sanguinem et propter eos captivatos, etc.

Habetur etiam *de* pro *ex*, aut *per*: Hebr. 11. 35, *acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Hoc est, per resurrectionem, seu ex resurrectione; sensus enim est: mulierem Sareptanam, itemque Sunamitidem merito devotae fidei suae redivivos accepisse filios suos iam defunctos, hanc per Eliseum 4 Reg. 4; istam per Eliam 3 Reg. 17.

§ 4. DIVERSIMODE USURPAT SCRIPTURA VOCEM ET

Coniunctio *et*, quam Hebraei per litteram ו *vau* exprimunt, saepissime redundat, praesertim apud Hebraeos: hi namque solent fere ad omnem novum sensum hanc coniunctionem praeponere, etiam ipso sermonis initio; unde varii libri Scripturae per *et* inchoan-

tur, maxime in hebraeo, ut Exodus, Leviticus, Numerorum, primus, secundus, tertius, quartus Regum, secundus Paralip. primus Esdrae, Iudith, Baruch, Ezechiel, Ionas et primus Machabaeorum. Licet enim quidam cum s. Gregorio magno, hunc inchoandi libros sacros modum, ut mysteriosum depraedicent, quasi hagiographi internae locutioni per coniunctionem *et* externam iungant; haec tamen videtur tantum mystica speculatio.

Et disiunctive, hoc est, pro *vel*, *sive*, *aut* sumitur Levit. 20. 9, *patri matrique* (hoc est: *vel matri*) *maledixit.* Deuter. 27. 15, *maledictus homo qui facit sculptile et conflatile.* Iob. 31. 7. Item Act. 3. 6, *argentum et* (id est *vel*) *aurum non est mihi.* Num. 10. 4, *voverit et* (hoc est *aut*) *se constrinxerit iuramento.* Ibidem ℣. 11. Vulgata: *voto se constrinxerit et iuramento.* Ubi in hebraeo אוֹ *o vel*, prout etiam ℣. 15. quo loco Vulgata: *quidquid voverat atque promiserat.*

Etiam frequenter sumitur *et* pro *enim*, *quia*, v. g. Num. 32. 11, *et noluerunt sequi me;* id est: *quia noluerunt*, ut non solum indicat contextus; sed etiam clare hebraeum כִּי *Ki*, hoc est, *quia*, quod ibidem habetur pro nostro *et.* Psalm. 94. 5, *ipsius est mare et ipse fecit illud*, pro *quia*, ut ibidem transtulit Hieronymus. Isa. 64. 5, *tu iratus es, et* (*quia*) *peccavimus tibi.*

Saepius quoque ponitur *et* pro adversativo *at*, vel *sed* v. g. Luc. 8. 13, *cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et* (hoc est, *sed*) *hi radices non habent.* Item ps. 117. 10. 18; ps. 138. 11; Eccli. 36. 20; Ionae 2. 7; Matth. 17. 12; Marc. 12. 12. Sic Gen. 17. 5, in hebraeo est: *et erit nomen tuum Abraham*; quod optime transfertur in Vulgata: *sed appellaberis Abraham.*

Est etiam *et* quandoque exegeticum, seu nota expo-

nentis, quo casu ponitur pro *id est*, ut Num. 3. 3. *quorum repletae, et* (id est) *consecratae manus*. Act. 10. 14, *commune, et* (hoc est) *immundum*. Huic simile est, dum *et* facit hendiadym *unum per duo*, ut Sap. 12. 21, *iuramenta et conventiones;* id est, *iuratas conventiones*, ait s. Bonav. in illum locum. Gen. 1. 14, *sint in signa et tempora et dies et annos*, hoc est, in signa temporum, dierum, annorum. Eodem sensu sumitur Coloss. 2. 8; Matth. 13. 14; Ierem. 34 21.

§. 5. VARIA MUNIA SUBIT IN

Omnium fere aliarum praepositionum vicem pro occurrentia locorum subit *in;* saepe vero redundat ut Gen. 48. 22, *quam tuli in gladio et arcu meo*. Ps. 30. 3, *esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii*. Ierem. 18. 16; Luc. 22. 49, *si percutimus in gladio;* Luc. 24. 25, *ad credendum in omnibus*. Ibid ℣. 27, *interpretabatur illis in omnibus Scripturis*.

Solent vero cum hebraea littera ב *beth*, quae voci praeposita valet *in*, et cum ablativo casu construi verba contactus tam corporalis, quam sensualis et spiritualis; v. g. visionis, quae rem visam intuitu suo quasi attingit, ut Isaiae 66. 5, *videbimus in laetitia vestra*, pro: videbimus laetitiam vestram. 2. Machab. 7. 6, *Dominus Deus aspiciet veritatem et consolabitur in nobis* (hoc est: *nos*) *quemadmodum et in protestatione Cantici declaravit Moyses* (Deuter. 32. 36.) *et in servis suis consolabitur;* seu ut habet Vulgata: *in servis suis miserebitur;* hoc est: servos suos consolabitur, eorumque miserebitur.

§. 6. NISI ET PRAETERQUAM SAEPE IMPORTANT SED

Frequenter ponitur *nisi* pro particula non exceptiva, qualis proprie est sed pro adversativa, ut idem valeat,

quod *sed*, v. g. Ioan. 5. 19, *non potest filius a se facere quidquam*, *nisi* (hoc est: sed tantum) *quod viderit patrem facientem*. Gal. 2. 16, *non iustificatur homo ex operibus legis nisi* (id est: sed) *per fidem Iesu Christi*. Sic etiam sumendum 4. Reg. 5. 17; Matth. 12. 39. et cap. 16. 4; Luc. 4. 26. 27. et cap. 11. 29; 1. Cor. 7. 17; Apoc. 21. 27.

§. 7. NEGATIO PRAEPOSITA SIGNO MUTAT ILLUD IN CONTRARIUM

Hebraeis pene semper negatio contrarie negat totum quod illam sequitur; unde *non omnis* in Scriptura passim valet *nullus*, cum alias in rigore dialectico sit idem, quod: *aliquis non*. Sic Exod. 20. 10, *non facies omne opus in sabbato*, idem est ac si diceret: nullum opus in sabbato facies. Illud Ezech. 4 14, *non est ingressa in os meum omnis caro immunda*, significat: nullam immundam comedi. Eodem sensu dixit Petrus Act. 10. 14, *numquam manducavi omne commune et immundum*. Ps. 48. 18, *cum interierit non sumet omnia*, hoc est: nihil. Ps. 118. 133, *non dominetur mihi omnis iniustitia*, id est: nulla. Matth. 5. 34, *ego dico vobis non iurare omnino*, hoc est: nullo modo. Matth. 24. 22, *nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro;* id est: nullus hominum illo tempore viventium salvus fieret, sed omnes omnino a iustitia et salute exciderent.

§. 8. SI SAEPE EST INTERROGANTIS NOTA ET NON RARO IURANTIS

In Scriptura *si* frequenter est nota interrogantis, sumiturque pro *an* vel *num:* v. g. Act. 19. 2, *si Spiritum sanctum accepistis?* hoc est: accepistisne Spiritum sanctum, seu sacramentum Confirmationis? Item Act. 1 8;

Amos 6. 2; Matth. 12. 10; Luc. 22. 49, *Domine, si percutimus in gladio?* an volumus percutere?

Persaepe tamen est signum iurantis, sic ut per *aposiopesim*, hoc est, *reticentiam* alicuius verbi propter emphasim aliqua imprecatio subintelligatur, quam Hebraei hac figura reticent, tamquam horrendam auditu et effatu. Sic Iudic. 5. 8, *si apparuerint*, est: iuro quod non apparuerint.

Quando tali sensu sumitur *si*, tunc dum est oratio affirmativa, istud *si* vertit illam in negativam; dum vero est negativa, vertit in affirmativam: quod notavit etiam August. lib. 17. Civ. c. 9, *si David mentiar, id est: nequaquam mentiar; solet enim sic loqui Scriptura.* Item 3. Reg. 17. 1, *vivit Dominus, si erit annis his pluvia.* Sensus est: iuro quod non pluet per Deum vivum, qui me puniat, si pluat. Ps. 4. 11, *quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam;* hoc est: iuro quod non intrabunt, alias non habear verax. Isa. 14. 24, *iuravit Dominus, si non ut putavi ita erit;* id est: iuravit quod sic erit, alias non habeatur Deus. Iob. 1. 11, *nisi in faciem benedixerit tibi;* hoc est: iuro quod maledicet, alias punias me. Sic pariter intelligenda sunt sequentia et similia: Isa. 5. 9, *nisi domus desertae fuerint.* Ps. 130. 2, *si non humiliter sentiebam.* Marc. 8. 12, *amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.*

§. 9. UT, QUIA, ETC. NON SUNT SEMPER CAUSALES

Ut, quia, propter quod, propterea, quibus correspondet hebraeum כי *ki*, in Scriptura frequentissime non significant causalitatem, sed solummodo eventum rei, aut consecutionem. Id clare patet vel ex solo Ierem. 27. 10, *mendacium prophetant vobis, ut longe vos faciant de terra vestra.* Patet enim ibidem ex contextu, quod non asser-

rent falsas prophetias, ut hoc fieret, imo maxime desiderabant illi pseudoprophetae contrarium; sed ex mendaciis et propter mendacia eorum hoc futurum praedicitur. Vide cap. 5. §. 2.

Latinum *quia*, *quoniam*, *eo quod*, prout et hebraeum כי *ki*, subinde valent *quamvis*, vel *etsi;* v. g. ps. 77. 19, *numquid poterit parare mensam in deserto, quoniam* (hoc est *quamvis*) *percussit petram*. Ierem. 7. 10, *liberati sumus, eo quod* (id est *licet*) *fecerimus omnes abominationes istas.*

Insuper *quia* saepissime in Vulgata ponitur pro adverbio *quod;* v. g. Dan. 14. 23, *ecce nunc non potes dicere, quia* (hoc est *quod*) *iste non sit Deus vivens*. Ioan. 8. 48, *nonne bene dicimus nos, quia* (id est *quod*) *Samaritanus es tu?* Matth. 11, 29, *discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* hoc est; discite mansuetudinem et humilitatem, seu *quod* mitis sim et humilis. Unde ita exponit Aug. serm. 10. de verb. Dom. *Discite a me non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere et mortuos suscitare: sed, quoniam mitis sum et humilis corde.* Modus iste loquendi videtur in Vulgata ortus ex hoc, quod graecum ὅτι indifferenter significet, *quod* et *quia.*

§. 10. ORANDUM PRO INTELLIGENTIA S. SCRIPTURAE

Concludo hoc caput cum s. Aug. lib. 3. doct. christ. cap. 37. *Non solum admonendi sunt studiosi venerabilium Scripturarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant, memoriterque retineant; verum etiam, quod est praecipuum et maxime necessarium, orent, ut intelligant, in eis quippe litteris, quarum studiosi sunt, legunt: quoniam Dominus dat sapientiam et a facie eius scientia et intellectus; a quo et ipsum studium, si pietate praeditum est, acceperunt.*

CAPUT SEPTIMUM

DE ANTIQUITATIBUS DOMESTICIS

§. 1. GEOGRAPHIA BIBLICA

Situs locorum, earumque praecipue regionum quae in Scriptura s. saepius memorantur, necessario addiscendus est, atque ad acquirendam geographicam hanc cognitionem, optimas mappas in scholis adhibere, easque alumnis explicare, res est maximi momenti. Sic Aramaea, Phoenice, Media, Persis, Babylonia, Chaldaea, Arabia, Aegyptus sunt prius explorandae, quam eam introeamus provinciam, *quam universae Christi ecclesiae sonant.* S. Hier. Canaan regio Abrahamo et posteris eius a Deo promissa, fluvio quidem Iordane et mari mortuo, Arabia petraea, mari mediterraneo atque Syria cingitur; ast promissiones simul ea respiciebant quae Hebraei, quondam ad arma provocati, in potestatem suam redacturi essent. Canaan regio est montosa. Duo montium iuga, alterum cis et alterum trans Iordanem procurrunt ex Syria usque in Arabiam, quae passim iam maiori iam minori planitie interrupta sunt. Montes praecipui sunt *Libanus*, *Carmelus* et *Thabor*. Regio interior locis planis, collibus, vallibus et sylvis distincta, admirabili cultura et fertilitate, tempore patriarcharum, eminebat.

Fluvius maiorem aquarum molem vehens est unicus *Iordanis*, qui perpetuis Antilibani nivibus originem debet et aquas suas in mare mortuum exonerat. Coeli status seu tempestas Palaestinae pro diversitate locorum quidem diversa, sub hoc tamen climate non adeo mu-

tabilis est, ut in nostris regionibus; sed multo magis sibi constat. Pluvia prima seu autumnalis, et serotina seu vernalis ad fecunditatem agrorum prorsus necessaria, summopere ab incolis exoptabatur. Ubertas soli, a Moyse celebrata, testimoniis omnium qui regionem inviserunt, comprobatur.

Quantumvis prospera sit regio, pluribus tamen calamitatibus vexatur. Saepe peste affligitur, saepe terraemotibus concutitur, saepe etiam locustarum agminibus vastatur. Malum autem prae caeteris terribile est ventus, qui neque alte in aerem, neque infra altitudinem duorum pedum a terra spirat; hinc homines, quum illum imminere observant, proni in faciem procidunt, ne quidquam de aura mortifera sorbeant. Hanc regionem Hebraei armis occuparunt, et in duodecim tribus diviserunt: nam, etsi posteri Iosephi in duas tribus *Ephraim* et *Manasse* dispertiti essent, tribus tamen Levi non obtinuit nisi 48 civitates, quae in diversis tribubus dispersae erant. Qui plura de hac re scire desiderat, utiliter consulet *Archaeologiam* biblicam *Foureriı Ackermann* et introductionem in Scripturam sacram Gallice scriptam, cl. professoris *I. B. Glaire.*

§. 2. DE DOMICILIIS

Protoparentes, omnium artium ignari, probabiliter domicilia sibi construere non poterant; degebant itaque sub dio, et, aura adversa, latibula quaerebant sub arboribus frondosis, vel in specubus. Specus progressu temporis incolis destitutae, conversae sunt in domicilia mortuorum seu sepulchra, Gen. 23., in refugia a persecutionibus hostium, et in latibula praedonum. Quum non ubique locorum specus praesto essent, necessitas homines ad alia genera domiciliorum excogitanda per-

movit. In primis decerptos arborum ramos duabus lineis parallelis terrae infigebant, eosque superius invicem inflexos connectebant, quos foliis, herbis, calamis, pellibusve contegebant, ut sic frigora, calores et humores a se arcerent. Ita aedificabant sua tabernacula seu umbracula, seu tuguria, quae a Romanis nuncupabantur mappalia. Quum tabernacula quae non facile de loco in locum transferre poterant, ex parte pellibus contegi solerent, subnasci facile poterat consilium, ex solis pellibus circa perticam extensis construendi mansiunculas, quarum facillima esset translatio. Hac ratione Iabal invenit tentoria, Gen. 4. 10., quae progressu temporis etiam pannis et linteis contecta fuerunt. His domiciliis hodiedum utuntur Nomades orientales (Vide §. 3.). Prima tentoria rotunda erant et parva; progressu temporis maiora et oblonga facta sunt. Haec maiora in plures partes, tres praesertim, velis distributa sunt. Pavimentum tentorii aulaeis seu tapetibus est opertum. Tabernaculis admodum perfectis, observatum fuit, ex solis quoque lapidibus et terra humefacta, seu luto, construi posse domicilia. Antiquissima sunt haec initia et iam de domibus elegantibus et ornatis sermo est Deut. 8, 12. Hae domus minutae sensim in magnas moles excreverunt. Ars plures contignationes construendi, antiquissima est, uti ex arca Noe et turri Babylonica apparet. Tecta domuum erant plana, qualia in oriente adhuc visuntur. Orientales haec tecta ascendunt ut aestate sub dio dormiant, ut publice gemant et lamententur, ut Deum orent etc. Ianua domus est in medio frontis aedificii; quam ingrediens venit in vestibulum quod cubile quadratum est, excipiendis advenis destinatum. Ex vestibulo ianua patet in impluvium seu aream, quatuor lateribus aedificii cinctam. Pavimen-

tum huius areae plerumque vario marmore stratum est. Cubilia erant alta et ampla, ac in structura, quae impluvium quadratum ambit. Quae in altiore contignatione sita erant, dicebantur ὑπερῷον; quamvis tamen singulare quodpiam cubile sit hoc nomine insignitum, quo utuntur, quum solitudini vacare vel orare libet, vel quum peregrinus excipiendus est. De culinis mentionem facit solus Ezechiel, 46, 23. Focus videtur fuisse ipsum pavimentum; pro caminis nostris, habebant foramina, quae fumo exitum praebebant; fenestrae in aream respiciunt; magnae sunt et fere usque ad pavimentum extenduntur. Domus passim e lapidibus quae in Palaestina minime desunt, aedificatae erant. Supellex domestica antiquiore aevo erat curta. Mola manualis et simplex furnus deesse non potuit; accedebant ollae quaepiam et lectisternia, ut stragula et culcitae.

Ex aggregatis tabernaculis seu tuguriis orti sunt pagi, oppida et urbes. Quum nempe se in tabernaculis suis minus tutos esse observarent, domicilia munire coeperunt. Id primum praestitit Cain, qui videtur aliquot tuguriola, forte in colle sita, septo vel fovea circumdedisse. Magna incrementa munitionibus iam aetate Moysis accesserant. Num. 13, 25-34. Domus in urbibus orientalibus raro sunt contiguae, et plerumque hortos amplos annexos habent. Sic omne spatium quod Ninive et Babylon occupabant, domibus arcte iunctis non erat consitum; veteres scriptores testantur fere tertiam Babylonis partem hortis et agris occupatam fuisse.

§. 3. DE NOMADIBUS

Nomades, seu populi errantes (νομή pabulum, res pecuaria) antiquissimi sunt, Gen. cap. 3, 18-21, et cap. 4, 2; et ad nostram usque aetatem permagnos

terrae tractus occupant. Nec mirum: habet enim haec vivendi ratio, pro pastoribus praesertim, magna commoda. Hi pastores in desertis sine fixa sede vagabantur, et praeter rem pecuariam omnia alia negotia vilipendebant. Nequaquam tamen inculti erant et abiecti, sed graves, politi et potentes; uti fuere Abraham, Isaac et Iacob et posteri eorum Israelitae, donec Canaan armis occupassent. Si itaque in Bibliis reges nuncupantur pastores, nuncupatio nequaquam est abiecta, sed sublimis et honorifica. Quin imo ipsi Deo saepissime hoc nomen tribuitur; ut non sit mirandum, cur toties in Scriptura s. haec metaphora occurrat. Horum nobilium pastorum pascua erant vasti terrae tractus omnibus pastoribus communes, nisi quispiam ius singulare in eis acquisivisset. In his pascuis nomades cum gregibus suis easdem fere quotannis vias et tractus tenebant, etsi pro varia anni tempestate huc illucque commigrarent. Aqua in desertis illis perrara; ideoque nomades in illis tractibus quos quotannis peragrabant, puteos et cisternas fodiebant. Non mirum igitur, quod lites de iis puteis permagni fuerint momenti. Gen. cap. 21, 25. cap. 26, 15. Pecudes quas nomades magno numero alebant, erant oves, et capreae. Ovium emolumentum erat lac, caro, et inprimis lana quae bis quotannis tondebatur. Tempore tonsurae convivia celebrabantur. Caprearum emolumentum sunt lac, omni alio lacte praestantius, caro in illis regionibus lauta, atque pili, e quibus feminae pannum conficiunt quibus tentoria operiuntur. Frequenter boves portandis oneribus destinati, frequentius vero asini, quibus vectari olim erat virorum gravium et principum, in Scriptura s. memorantur. Consueta tamen iumenta ad transportandas omnis generis sarcinas, hominesque alio vehendos,

sunt cameli. Equi olim fere solum ad bellum parati erant, quos sub Salomone tantum Hebraei aluerunt; nam centum equi qui a Davide ex praeda reservati fuerant, ad usum regis erant destinati. Post Salomonem Hebraei perpetuo habebant exercitus equestres et currus bellicos. Etsi nomadibus canes ad custodiendos greges necessarii sunt, ab omnibus tamen, ut animalia immunda spernuntur, exceptis solis canibus venaticis, qui mundi censentur. Hinc compellatio canis, mordax est convicium, contemptum spirans. Iob. 30, 1. Canes nomadum, utut copiosi, minime tamen sufficiunt ad depellendas a grege belluas rapaces, nisi pastores ipsi eas fugent; quare facile assuescunt venationi. Sic primi aevi homines, ut se contra feras tuerentur, ad venandum cogebantur, et magnus venator de humano genere bene merebatur. Non amplius tamen ita res sita erat tempore Moysis; quare de venatione duae tantummodo leges latae sunt, Exod. 23, 11. Lev. 25, 6-7. Arma erant eadem, quorum in bello usus; arcus, sagitta, lancea, iaculum, gladius, laquei, foveae. Inter hos nomades omni tempore extitere praedones qui alios, peregrinos praesertim, expoliabant: sunt tamen, et fuerunt omni aevo, etiam nomades qui infame hoc negotium iniquum reputent; e quibus fuit Abraham, Isaac, Iacob, et Israelitae, quorum tamen aliqui ad hoc ipsum nonnumquam delapsi sunt. Iud. 9, 15.

§. 4. DE AGRICULTURA

Alterum hominum primae aetatis negotium erat agricultura, Gen. 2. 15. 3, 17., quae maxima vitae praestat commoda; sic legimus Noemum post diluvium ad eam rursus rediisse. Hebraei qui agriculturae emolu-

menta in Aegypto didicerant, singulari industria eam postea semper coluerunt.

Leges mosaicae de agricultura eae praecipue sunt, ut 1° civi cuilibet esset fundus quem coleret et haeredibus relinqueret, nec umquam in perpetuum, sed dumtaxat usque ad proxime sequentem annum iubilaeum alienare posset. 2° Ut venditor agrum venditum numerando pretium proventuum usque ad annum iubilaeum, redimere posset. Deut. 15, 19-28. 3° Ut Hebraei non essent nisi haereditarii praediorum suorum conductores et coloni supremi regis Iehovae, cui proinde omnium fructuum decimas penderent. 4° Ut sacra esset agrorum possessio, qui proinde terminis a se invicem distinguerentur.

Is erat agriculturae honos apud Hebraeos, ut omnes tum in pagis et oppidis, tum etiam in urbibus habitantes, sine discrimine essent rustici, ut et ipsi ditiores, etsi non perpetuo cum suis servis arvum colerent, manum tamen ad aratrum mittere non dedignarentur.

Solum Palaestinae uberrimum est, si modo non desit ros et pluvia autumnalis et vernalis. Quam soli ubertatem solertia sua augebant Hebraei 1° divisis in canales rivis, rigatisque agris, dum erant sicciores. 2° Foecundata cineribus terra anno sabbatico, quando igne in agrum immisso, stramen, stipulae etc. in cineres redigebantur, hique campos obducebant. Denique stercoratio quoque minime neglecta fuit. Ps. 83, 11. 2. Reg. 9, 37. Luc. 14, 34.

Genera frumentorum de quibus fit mentio, sunt triticum, milium, spelta, hordeum, fabae, lentes, melanthium, linum, gossypium, etc. Cultura autem soli initio simplicissima erat, solisque scipionibus acutis agebatur, donec pala seu spatha, et deinceps aratrum exco-

gitaretur, quae utraque instrumenta tempore Moysis notissima erant. Deut. 23, 10. Gen. 45, 6. Aratrum initio imperfectum, quatuor tandem partibus componebatur, temone, iugo, stiva et vomere. Occa nihil aliud videtur fuisse, nisi asser crassus, pondere iniecto gravatus et a iumentis, ad glebas confringendas, super arvum aratum tractus.

Iumenta quorum ope labor agriculturae sublevabatur, erant tauri, vaccae, asini et asinae. Tauris praecipue, tamquam laborum sociis, sua erat apud Hebraeos dignitas, ita ut tropi ab ipsis deprompti sua elegantia minime carerent. Num. 2, 4. Deut. 33, 17.

Sementis altero dimidio Octobris inchoabat, quo, ut et sequenti etiam Novembri et Decembri, triticum terrae mandabatur; hordeum vero etiam Ianuario et Februario. Semen probabilius occatione terrae mandabatur; videtur tamen non raro etiam in sulcum fuisse coniectum, ut altero transiecto sulco contegeretur.

Segetes in Palaestina iam mense Februario tantae sunt altitudinis, quantae in nostris terris Maio. Secunda die Paschatis, primus manipulus hordei maturi ad altare offerebatur, et tum messis inchoabat. Primum metebatur hordeum, dein triticum, milium etc. Exod. 9, 31. Tempus messis quod extendebatur ad Pentecosten, erat festivum. Messores erant Domini, filii, servi et ancillae, qui laeti operi vacabant. Ps. 126, 6. Utebantur falce, ut stipulae humi haererent. Demessae segetes in manipulos colligabantur qui in *aream*, i. e. in solum complanatum et contusum, in ipso situm agro, omnique carens pariete et tecto, comportabantur. Principio frumentum baculis excutiebatur; postea autem subiectum fuit vel ungulis boum, vel machinis tractis super manipulos a bobus, quibus triturantibus os ligare prohi-

bitum erat. Quae triturata erant, *furca lignea* vento leniori obiiciebantur, ut ita stramen et gluma a granis et spicis necdum excussis separarentur. Cum vero grana non raro glebae essent infixa, haec ab iis *cribro* separabatur. Cumulus ventilatus qui spicas necdum plene excussas complectebatur, iterum a bobus calcabatur, deinde frumentum glumae mixtum *pala* (hebraice מִזְרֶה, graece πτύον) obiiciebatur vento atque ita grana, ablata gluma, pura in aream decidebant. Ruth. 3, 2. Stramen non necessarium ad coquendos lateres vel iumentorum pabulum, incendio in cineres abibat. Ab hac ventilatione tot figuratae locutiones desumptae in Scriptura s. reperiuntur.

Vites etiam sedulo ab Hebraeis colebantur: solum enim Palaestinae optimi vini erat feracissimum, et adhucdum illic crescunt botri pondere 12 librarum. Vineae, plerumque in declivi collium et montium plantatae, cinctae erant veprete, vel septo, vel macerie. Num. 22, 24. Aedificatae quoque in eis erant turres e quibus custodes tamquam e speculis arcebant fures, belluas, et inprimis vulpes et canes aureos. Cant. 1, 6. Vindemia quae mense Septembri inchoabat, erat tempus laetissimum. Canticis undique resonantibus uvae abscindebantur et in torcular quod erat in ipsa vinea afferebantur. Matth. 21, 33. Tropice vindemia, racematio et calcatio torcularis praelia et ingentes clades significat. Ier. 49, 9. Lament. 1, 15.

Horti aeque ac agri Hebraeis maximae erant curae, eosque illi nuncupabant hebraice גַּן *gan*, recentius autem nomine persico פַּרְדֵּס *pardès*, παράδεισος, *paradisus*, eos designabant. In illis hortis praecipue colebantur arbores frugiferae et olera. Antiquissimae et maximi

lucri culturae erat olea, cuius ramus Gen. 8, 12., et deinceps omnibus gentibus perpetuo fuit symbolum pacis et felicitatis. In Palaestina oleae sunt naturae optimae et praebent oleum praestantissimum; unde non mirum est cur Hebraei tantam facerent olei culturam. Ezech. 27. 17. Non minus frequentes in Palaestina sunt ficus, quae, ut oleae, in solo quoque sicco et arenoso, optime crescunt. Manducantur recentes, partim vero in aprico siccantur et in massas coagmentantur. Ad sycomorum quod attinet, ea magnitudine et figura similis moro, in Aegypto et Palaestina est frequentissima, 1. Paral. 27, 28. Fertilis haec arbor septies per annum fert fructus, eiusque lignum, quod in millia annorum perdurat, in aedificiis magni est usus. 1. Paral. 27. 28. Malus punica, sive granatum, arbor est Palaestinae domestica, generosissima, et fructus profert pulcherrimos et suavissimos. Exod. 28, 35. Balsamum est et frutex et arbor; succus vero ille odorifer et saluberrimus qui proprie balsamum dicitur, non ex arbore, sed e frutice stillat. Gen. 37, 25. Palma, quae, ut fructus sapidos producat, solertes requirit colonos, sub sedulis Hebraeis erat frequentissima. Levit. 23, 40. Stirps eius est rectus et altissimus, qui nonnisi in vertice coronam gestat frondium toto anno virentium; quare eius figura ornatum et venustae personae formam significabat. Huius arboris frondes festo tabernaculorum Hebraei manu gestabant, Levit. 23, 40., et regibus solemniter urbem intrantibus in via sternebant. Matth. 21, 18. Graeci palmae frondem victoribus athletis porrigebant; unde hodieque vox palma pro victoria usurpatur. Haec de arboribus dixisse sufficiat; iam de apium cultu et piscatu pauca dicamus; propterea quod tanta erat earum rerum apud Hebraeos cura. Laus Palaestinae, lacte et

melle manantis, Exod. 3, 8. Levit. 20, 24. Num. 13, 28., facta est proverbialis. Apes in ea regione frequentes erant, neque in alvearibus tantum, sed etiam in arboribus concavis et fissuris rupium favos fingebant. Deut. 32, 13. Antiqui mel pro nostro saccharo usurpabant: quare symbolum est amoenitatis et iucunditatis. Ps 119, 11.

Pisces Hebraeis in deliciis erant, Num. 11, 5., quare piscibus Iordanis, lacus Gennesareth et maris quoque mediterranei minime parcebant. Lex Mosaica illos tantum interdicebat qui pinnulis vel squamis carebant. Levit. 11, 9. Ad lacum Gennesareth magna fuisse commercia piscium, constat; piscatores autem fuisse hominum genus impigrum et solers, liquet ex Luc. 5, 15. Matth. 4. 19.

Huic §. de agricultura finem imponimus, paucis agendo de iis omnibus quae *vervacti* tempore observanda essent. Septimo quoque anno res rustica per universam regionem erat intermittenda; nihil serendum, vites et oleae non putandae, neque arborum fructus legendi; sed omnia sine cultura nata pauperibus, peregrinis et feris relinquenda erant. Levit. 25, 1. Hac lege cautum fuit, ut ferarum genera conservarentur, solum novas vires caperet, et pauperibus subveniretur; quare etiam anno sexto singularis ubertas a Deo promissa fuit. Levit. 25, 20-24.

Neque tamen propterea Hebraei annum septimum prorsus otiosi transigere debebant: poterant enim piscari, venari, apes et greges curare, aedificia et supellectilia reficere, aut nova parare, lanam, gossypium, linum et pilos caprarum, camelorum et asinorum in opus consumere, atque de eo, quod abundabat, commercium agere. Denique diutius etiam in templo, ubi

hoc anno lex Moysis praelegebatur, commorandum erat; ut de officiis et religione, de historia gentis et de beneficiis a Deo collatis instruerentur. Deut. 31, 10-13.

§. 5. DE ARTIBUS

Pleraeque artes initium faciunt a prima hominum aetate, qua ad evitanda tot istorum temporum incommoda, remedia ab eis quaesita et inventa sunt; longaevitas autem faciebat ut facilius paulisper hae artes perfici possent. Hinc saeculo secundo iam plures àrtes occurrunt; saeculo autem post hominis creationem quarto, Gen. 4, 21-2?., cuprum et ferrum malleo subiectum et instrumenta musica memorantur. Civitas quae cum agricultura non oriri non potuit, primis inventis incrementum et perfectionem praebebat. Id iam ante diluvium contigisse, e praegrandi nave Noëmi colligitur. A diluvio usque ad Moysen, posteros Noe, qui in civitates coierant, plures artes et utensilia arte parata habuisse, attentum *Geneseos* lectorem nequaquam latere potest. Sub Moyse Hebraei in Aegypto plurimum in perficiendis artibus profecerunt. Lex Mosaica artes quidem non fovit, nequaquam tamen interdixit; sed, uti id moris etiam erat apud alias gentes, industriae populi eas relinquebat. Etsi paulo post obitum Iosue, artes necessariae non deessent, tamen vix quidquam proficiebant; postea autem, crescente luxu, sub regibus praesertim, magis eae vigere coeperunt, atque ita regnantibus Davide et Salomone, solertes reperiebantur artifices inter Hebraeos, qui palatia magnifica et templum extruere possent. In exilio suo multi Iudaei, quia non ubique agros fertiles quos colerent, inveniebant, artibus et mercaturae se addicebant, quod artium et opificiorum studium postea inter eos, quum in varias

regiones dispergerentur, constanter permansit. Sic in Novo quoque Testamento, Iosephus, Salvatoris nutritius, artifex lignarius fuit; Simon coriarius, Act. 9, 43.; Alexander aerarius, 2. Timoth. 4, 14.. Paulus et Aquila σκηνοποιοί erant.

Iam de quibusdam artibus singillatim agendum est, et primum quidem de scriptura.

Non hoc loco quaeritur, an, ut docti quidam contendunt, Scriptura primum fuerit symbolica, dein hieroglyphica, demum syllabica et denique litteralis, atque utrum sic haec scriptura litteralis sive phonetica inveniri potuerit. Cl. de Bonald nequaquam esse humanae industriae inventum, asserit in opere: *Recherches philosophiques; chap. III. de l'origine de l'écriture.* Nostrum hic est inquirere, qua aetate litterae *repertae* sint. Antiqui omnes, in regionibus orientalibus aevo admodum remoto, eas notas et usitatas fuisse consentiunt, atque e Phaenice in Graeciam per Cadmum fuisse allatas, et quidem si antiquo chronico parensi fides est, anno 1519 ante Christum, seu 45. post obitum Moysis. Cum Gen. 23, 17. videatur fieri mentio cuiusdam *libelli emtionis*, qui, prout tenor eius innuit, aetate Abrahami scriptus fuit; litterae autem in libris Moysis pro notissimis et pervulgatis sumantur, Exod. 17, 14. 24, 4. 28. 9. 32, 32. 34, 27. Num. 17, 18. 33, 2. Deut. 27, 8.; praeterea quoque iam tum longa abhinc aetate extitissent librarii publici, qui genealogias in tabulas inferebant, Exod. 5, 6. 14. Deut. 20, 5-9.; imo aetate Iacobi iam sigilla quibus in oriente nomina insculpuntur, usitata fuerint, Gen. 38, 28. 14, 42, facile patet, antiquissimum esse litterarum usum, neque maiorem earum quam in litteris sacris, reperiri antiquitatem.

Quae fuerit prima scripturae materia, non liquet;

usitatae autem olim materiae erant: 1.° e regno vegetabili, (a. folia arborum; (b. liber, βίβλος, seu cortex arborum; (c. pugillaris πίναξ, seu tabula lignea; (d. linteum: (e. carta papyracea, quae ex divisis papyri arundinibus parabatur. 2.° e regno animali, pelles animalium, quarum praeparatio sub Eumene rege Pergami, anno circiter ante Christum 200, quum fuerit multum perfecta, haec adhucdum inde dicitur *pergamena*; alias etiam μεμβράνα audit. 2. Tim. 4. 13. 3.° e regno minerali, (a. tabulae plumbeae; Iob. 19, 24; (b. tabulae aeneae; 1. Macc. 8, 22. 14, 20. (c. Lapides seu saxa, quibus imprimis monumenta insculpebantur; Exod. 24, 12. Deut. 5, 19. Iob. 19, 24. Ps. 16, 1.; (d. laterculi qui insculptis litteris, igni coquebantur; (e. arena in terra strata. Instrumentum quo scribebatur, erat stylus. Atramentum iam Num. 5, 23. pro usitatissimo ponitur. Iosephus testatur Hebraeos auro quoque scripsisse sacros codices.

Nunc pauca de libris, qui iam Iob. 19, 23. Num. 21, 14. Exod. 17, 14. erant notissimi. Hi olim scribebantur in pellibus, linteis, carta papyracea et demum quoque pergamena. Si liber fusior erat, plures pelles etc. connectebantur. Raro ex utraque parte inscribebantur. Libri materiae flexibili inscripti, circa baculum volvebantur; lector autem librum revolvebat, lectum vero complicabat; unde vox volumen. Ps. 40, 7. Libri vero qui tabulis ligneis, plumbeis, aereis, vel eburneis inscripti erant, per annulos in tergo, aequali distantia dispositos, per quos bacilli traiiciebantur, coniungi solebant. Quod epistolas spectat, eae rariores sunt, quo aevum est antiquius. Prima memoratur epistola lib. 4. Reg. 19, 14. Postea frequentior fit epistolarum mentio. Antiquissimae sine salutatione inchoant et sine valedictione fi-

niunt; verum sub monarchia persarum prolixa salutatio usitata erat. Esdr. 4, 7. Apostoli in epistolis, salutatione Graecis consueta usi sunt.

Quod poesin attinet, ea iam aetate Moysis non tantum apud Hebraeos, sed apud alias etiam gentes ad summum perfectionis culmen evecta erat. Exod. 15. Deut. 31. Num. 21, 24. cfr. lib. Iob. Floruit deinceps apud Hebraeos per mille fere annos, et sacerrimi semper usus inter eos fuit. Ipsorum poematibus insunt omnia illa, quae aliorum populorum poemata commendant; insunt autem alia etiam, quibus e poesi occidentalium distinguuntur; 1.° quidem imagines et figurae audaciores. 2.° ornamenta deprompta sunt a rebus orientalibus, Palaestinae praesertim; nempe ab *obiectis naturalibus illius regionis, a re pecuaria et rustica, ex Historia, ex vita communi et moribus atque etiam a vitiis*, et tandem e *Mythologia orientalium* quae aliquam patem, sed non omnem cum mythologia graeca et romana convenit. Carmina hebraica fortasse quidem pedibus et certo syllabarum vel verborum numero, magis sententiis parallelis dimensa sunt, quae syntaxi vel sensu synonymae, aut antitheticae, sibi respondent. Musica pari semper passu cum poesi ambulabat, ita ut cantus poesi coaevus sit. Instrumenta musica iam ipse Iubal invenit. Gen. 4, 21.; et 31, 27. Musica utebantur Hebraei diebus festis domesticis, civilibus et religiosis, ut in nuptiis, anniversario natalis, in victoria de hostibus reportata, in regum inauguratione et in cultu divino. In templo et in tabernaculo Levitae erant musici; alias autem quilibet. Musicam in tabernaculo in meliorem ordinem redegit David et 4000 Levitas in 24 classes divisit, qui psalmos canerent et instrumentis accinerent. 1. Paral. 16, 5. Hic ordo sub Salomone in

templum abiit. Instrumenta chordis instructa erant 1.° cithara, Gen. 4, 21. 2.° Nablium, quod instrumentum in Vulgata dicitur psalterium, Nabla seu naula, Ps. 32, 2. Instrumenta quae inflabantur, erant 1. *uggab* quod in Vulgata latina convertitur voce *organum* Gen. 4, 21. Vid. Smits ad hoc cap. 2.° *Tibia*, Ierem. 48, 36. 3.° *Fistula*, Dan. 3, 5. 4.° *Cornu* et 5.° *Buccina* recta. Instrumenta pulsatilia erant 1.° Tympanum, Exod. 15, 20. 2.° cymbala, qualia in nostra musica etiamnum observare licet. Ps. 150, 5. 3.° *Sistra*, σεῖστρα, (ἀπὸ τοῦ σείειν, quatere) quae crepitacula artificio quodam manibus vel digitis pulsa resonabant. Hoc loco etiam pauca dicenda sunt de saltatione, quae tam antiqua videtur quam ipsa poesis et musica. Initio saltatio gravior et honesta, tam turpiter iam in oriente a primo suo ortu recessit, ut hodie mulieribus tamquam adultis infantibus relinquatur. E locis in quibus de saltu sermo est in Scriptura s., constat, olim saltatum fuisse in circulum seu orbem. Exod. 15, 20. Hoc loco chorus est multitudo canentium vel saltantium; moris enim erat apud Hebraeos ut mulieres et puellae in Dei laudem vel hominum canerent et saltarent. Iudic. 11, 34. 1. Reg. 18, 6-7. Ierem. 31, 4.

Quod tandem artem oratoriam spectat, etsi passim in Scriptura s. orationes et conciones venustissimae reperiantur, ea tamen ars in oriente numquam, uti in Graecia, floruit; quare non mirum, cur Paulus, qui tamen in pluribus Act. Apost. et Epist. suarum locis, orationes omnibus numeris absolutas composuit, artem hanc parvipendisse videatur. 1. Cor. 1. 17.

§. 6. DE SCIENTIIS

Quum artes ad certas leges meditatione redigerentur, ortae sunt scientiae, quarum prima initia antiquissimo aevo offenduntur; de integro autem aliquo systemate nullum etiam aevo recentiori occurrit vestigium. Reliquis praecelluerunt Aegyptii et Babylonii; laudantur quoque Arabes, 1. Reg. 5, 9, et Idumaei. Ier. 49, 7; Hebraei inclaruerunt sub Davide et inprimis sub Salomone, qui ipse omnes alios doctrina et perspicacia superasse refertur. 1. Reg. 5, 9. Excolebant autem prae caeteris morum disciplinam, philosophiam religionis, historiam suae gentis, et historiam naturalem. Post Salomonem vix progressi sunt.

Historiae studium olim in oriente prae caeteris viguisse, ipsa testantur Biblia sacra, quae res praecipuas a creatione hominis usque ad tempora quae proxime Christum praecesserunt, narrant. Antiqua historia erat magis genealogica, quam chronologica. Etsi matheseos nulla fiat mentio in Scriptura s., quum tamen tam necessaria sit ad artes, ea sane ignota inter Hebraeos non fuerit. Studium astronomiae apud ipsos valde circumscriptum erat; quia ei minime favebant leges Mosaicae: individuo enim nexu apud gentes cum astrologiae superstitione, pluriumque deorum veneratione Israelitis omnino vitanda, illud studium erat coniunctum. Diem iuxta legem mosaicam computabant a vespera usque ad vesperam; Lev. 33. 32.; diem vero naturalem ab ortu solis usque ad occasum. Horarum mentio prima occurrit in Daniele, 3, 6. Eae horae, quae tamen potius generatim *momentum*, quam horam nostram significant, primum ad gnomones, qui non nisi meridiem indicabant, tum ad horologia solaria, deinde

ad clepsydras exigebantur. Horae praecipuae erant Prima, Tertia, Sexta, et Nona, quarum tres posteriores precibus consecratas intelligimus ex Act. Apost. 2, 15. 3, 1. 10, 9. Dies praeterea etiam dividebantur in 12 horas inaequales aestate longiores, hyeme breviores: quia numerabantur ab ortu usque ad occasum solis.

Nox ante captivitatem Babylonicam in tres vigilias tantum dividebatur, quarum prima *initium vigiliarum*, secunda *vigiliae mediae*, tertia *vigiliae matutinae* dicebantur, quae nomina desumpta videntur a vigiliis Levitarum in templo et tabernaculo. Ierem. 2, 19. Iud. 7, 19. Aetate Christi, nox, exemplo Romanorum, in quatuor Vigilias distribui solebat.

Iam de hebdomada, mense et anno pauca delibabimus. Periodus septem dierum antiquissima est; quum in ipsa historia diluvii occurrat. Gen. 7, 4-10. 8, 10-12. 29, 27. Dies septima Hebraeis erat sabbatum, שַׁבָּת. A sabbato, tamquam praecipua die, tota demum hebdomas dicta fuit; sic dicitur *una* vel *prima sabbati*, *secunda sabbati* vel etiam *sabbatorum*. Marc. 16, 2-9. Luc. 18, 12. 24, 1. Ioan. 20, 1-19. Observandum, Hebraeis, praeter hebdomadem dierum, aliud triplex genus hebdomadum praescriptum fuisse; 1.° quidem *hebdomadem hebdomadum*, seu periodum septem hebdomadum, seu 49 dierum a Paschate ad Pentecosten; Deut. 16, 9. 2.° *hebdomadem annorum*, seu periodum septem annorum, ita ut septimus annus esset sabbaticus, quo erat vervactum totius anni; 3.° *hebdomadem septem annorum sabbaticorum*, seu periodum 49 annorum, quae anno iubilaeo seu quinquagesimo claudebatur. Exod. 22, 10. Initio annus constabat apud Hebraeos, 12 mensibus lunaribus, seu mensibus dierum 29 1/2; numerabatur

autem primum iuxta reditum aestatis, seu fructuum, qui post 12 circiter menses lunares maturescunt; at cum observaretur, post 17 annos, eodem mense redeunte, omnia esse contraria, iam ante diluvium tentarunt menses ad cursum solis, 30 diebus definire, superstites autem quinque dies duodecimo mensi addere. Lex mosaica annum et menses solares Hebraeis reliquit; ut autem menses lunares ad solares redigerent, omni circiter tertio anno unum mensem interponebant. Quatuor diversae anni species apud Hebraeos distinguuntur, nempe *annus civilis* sive aeconomicus, qui initium ducebat a mense septimo seu a prima neomenia octobris (Tischri); *annus ecclesiasticus* qui initium faciebat a mense spicarum (Nisan), seu a prima neomenia aprilis; *annus sabbaticus* qui singulis septem annis celebrabatur, et *annus iubilaeus* qui in quinquagesimum annum incidebat. Menses initio erant anonymi; in exilio vero nomina mensium babylonica adoptarunt. Haec sunt ea nomina: Nisan, Ziv, Sivan, Thammuz, Ab, Elul, Tischri, Bul, Khislev, Tebeth, Schebat, Adar. Mensis intercalaris a iudaeis dicitur *Adar* 2.° וַאֲדָר, geometria mechanica et geographia etiam non erant ipsis ignotae, Geometriae iam aliqua mentio fit in Gen. 7, 15., et 47, 20-27. In Aegypto tantum de geometria combiberant, ut dein regionem Canaan geographice delineare et funiculo mensorio dividere potuerint. Mechanicam fuisse cultam e navi Noemi, turri Babelica, aedificiis in Aegypto, curribus etc. facile constat. Notitiae geographicae passim in Bibliis sunt obviae. Gen. 10. 1-30. 12, 4-15.

Medicina, medicamentis, progressu temporis, per experientiam cognitis, in scientiam redacta est, primum in Aegypto, multo recentiori aevo, in Graecia, cuius

tamen medici paulo post Aegyptios longe superabant. Medicorum mentio prima fit Gen. 50, 2. Exod. 21, 19. Iob 13, 14. Res medica, maximam partem, apud Iudaeos, constabat operationibus chirurgicis, remedia autem ad eas operationes adhibita, erant balsamum, resina, oleum, quin imo balnea mineralia non omnino neglecta fuisse, argumento est Gen. 26, 14.

De physica nihil omnino dicendum est; quippe quae parum in oriente culta fuerit; maior autem opera navabatur historiae naturali, e cuius tribus regnis plurima in Bibliis occurrunt, et regnum quidem vegetabile et animale rex ipse Salomon descripsit. Philosophiam quae rerum divinarum humanarumque causas inquirit, antiquissimam esse, et in oriente natam, unusquisque novit; primis vero Geneseos capitibus summae philosophiae principia contineri, Moysen vel maxime nomen philosophi mereri, in libro Iob, in Psalmis, in Proverbiis et Ecclesiaste eam scientiam ad summum apicem fuisse provectam, neminem latet. Post reditum e captivitate babylonica, haud paucis placuit iudaeis exterae philosophiae studium cum religione Mosaica coniungere, ad eamque accommodare conabantur, sed quacum nihil quidquam commune habebat Iesu-Christi sapientia e coelesti fonte unice hausta. Ex eo reditus tempore, natae sunt non paucae contentiones, quibus ortum suum debent sectae Pharisaeorum, Sadducaeorum, et Essenorum. Eruditi olim dicebantur *sapientes;* aevo autem Christi, *litterati*, γραμματεῖς, nominabantur, atque etiam honoris causa, *magni* et *magistri* salutabantur. Auctores sectarum dicebantur *patres*, discipuli vero *filii*. Matth. 12, 27. 23, 1-9. Doctores iudaeorum, saltem quipiam, propria habebant auditoria, docebant tamen etiam in Synagogis, in templo,

et ubicumque inveniebant auditores. Ii doctores neque ab Ecclesia, neque a civitate instituebantur, nec salario gaudebant, nisi quod a discipulis dabatur, et honorarium, τιμή, dicebatur. 1. Tim. 5, 17. Inter multas res inutiles et nullius momenti quibus Talmud scatet, aliquas tamen etiam tractabant quae sua utilitate non carebant.

§. 7. DE MERCATURA

Mercatura in oriente antiquissima est. Phoenices ea in re primas tenebant; metropolis eorum prima erat Sidon, dein Tyrus, annis 1251 ante Chr. condita. Emporia habebant ubique terrarum. Situs Palaestinae ad commercia quoque opportunus erat, neque tamen in favorem mercaturae ullae leges a Deo per Moysen latae fuerunt; quia Hebraei ad veram religionem conservandam consecrati, sine periculo inter idololatras dispergi non poterant. Quum tamen commercia extranea lege non essent prohibita, Salomon mercaturam maritimam fecisse, et naves usque in Hispaniam emisisse legitur. Ioppe erat portus Ierosolymae, in quo naves etiam maiores, in Hispaniam tendentes, appellebant Ion. 1, 3. Aetate Ezechielis, Ierosolymae tanta erant commercia, ut in invidiam Tyri incideret. Ezech. 26, 20. Post exilium Hebraei quam plurimi erant mercatores. Ad mercaturam pecunia, mensurae, et pondera necessaria sunt. Apud Hebraeos penes sacerdotes erat rectitudinem ponderum et mensurarum curare. Distinguenda sunt haec pondera et mensurae in ea quae ante et in ea quae post exilium in usu erant; nam sub ditione aliena, Hebraei dominorum suorum ponderibus et mensuris utebantur, atque ita haec sensim mutata fuerunt. *Nummi* apud eos etiam *ponderum* munere fun-

gebantur et contra: nullum enim in ss. Litteris ante captivitatem babylonicam monetae cusae habetur indicium. Itaque praecipua pondera, quorum nomina etiam postea data fuerunt nummis cusis, erant, aetate Moysis, *Siclus*, eiusque dimidium *Beka*, et pars vigesima *Gera*. Centum sicli dicebantur *Mina* et triginta minae seu tria millia siclorum efficiebant talentum. Nummi pro triplici materia, e qua erant parati, fuerunt *aenei*, *argentei* vel *aurei*. Aenei erant 1° λεπτὸν, *Minutum*, Luc. 22, 59. 2° κοδράντης, *quadrans*, Matth. 5, 26. 3° ασσάριον, *assarium*, Matth. 10, 29. Argentei erant 1° *gera*, graece δανάκη, vigesima pars sicli. 2° δηνάριον, denarius, quarta pars sicli. 3° δίδραχμον, didrachmum, seu dimidius siclus, seu etiam Beka. 4° Siclus, seu siclus sanctuarii vel sacer, qui etiam στατὴρ et τετράδραχμον dicebatur; quia quatuor drachmis constabat. 5° *Mina* quae a plerisque aequiparatur quinquaginta siclis sacris. 6° *Talentum*, quod 3000 siclis sacris respondere recte colligitur ex Exod. 28, 25. Inter hos nummos qui plerumque erant ex argento, tamen etiam aurei fuerunt. Sic denarii aurei et sicli aurei in Script. s. fit mentio.

I. TABULA

NOV. ET VET. TEST.

Ponderum et monetarum proportionem exhibens.

Λεπτὸν seu minutum.	1	2	8	32	160	320	640	32000	1920000
Κοδράντης seu quadrans.		1	4	16	80	160	320	16000	960000
Ασσάριον seu as.			1	4	20	40	80	4000	240000
Gera.				1	5	10	20	1000	60000
Δηνάριον seu denarius. Idem quod drachma attica.					1	2	4	200	12000
δίδραχμον, seu dimidius siclus, seu Beka.						1	2	100	6000
Siclus (schekel) sive etiam στατὴρ, graece.							1	50	3000
Mina.								1	60
Talentum (ciccar.)									1

Observandum 1.° λεπτὸν, δίδραχμον, στατῆρα, μνᾶν et τάλαντον talentum) esse monetas vel monetarum symbola et pondera graeca; *Quadrantem, Assarium, Denarium* latina; caetera vero hebraica. 2.° Nummos eiusdem nominis aureos et argenteos aliquoties esse diversi, aliquoties vero eiusdem ponderis, semper autem valoris diversi; etsi iste valor accurate definiri nequeat; quia non constat, quaenam esset ratio auri ad argentum. Sic apud Hebraeos Siclus aureus et Siclus argenteus eiusdem erant ponderis, sed non eiusdem valoris. 3.° In Script. s. saepe vocem *siclus* subaudiri; sic Matth. 27, 3., dicitur Iudas Iscariotes retulisse *triginta argenteos*. 4.° Valorem monetarum apud Hebraeos respective ad nostram monetam decimalem, difficulter admodum determinari. Ita aliam tabulam dat Calmetus, aliam Vence quam sequitur cl. Glaire, aliam etiam finxit eruditissimus noster Smits, quam hic subiungimus, etsi eam propterea non verisimiliorem quam caeteras contendamus.

II. TABULA

Valorem monetarum hebraicarum respective ad nostram monetam decimalem exhibens.

	Fr.	Cent.
Λεπτὸν seu minutum.		$\frac{3}{8}$
Κοδράντης seu quadrans.		$\frac{3}{4}$
Assarium seu as.		$5\frac{7}{48}$
Gera.		$12\frac{1}{2}$
Denarius, idem quod Drachma attica.		63
Δίδραχμον seu semisiclus, seu etiam Beka.	1	27
Siclus (schekel) sive etiam στατὴρ, graec.	2	54
Mina.	127	00
Talentum.	7620	00

Iam de mensuris Hebraeorum pauca dicamus; earum autem aliae erant *continuorum*, aliae vero *discretorum*.

Mensuras *continuorum* praecipuas earumque proportionem inter se exhibet sequens tabella desumpta ex C. Ikenio.

Digitus.	1	4	12	24	6384	47880	191520
Palmus.		1	3	6	1996	11970	47680
Spithama.			1	2	532	3990	15960
Passus, seu cubitus.				1	266	1995	7980
Stadium.					1	$7\frac{1}{2}$	50
Milliare.						1	4
Parasanga.							1

Discretorum mensurae duplicis erant generis, *aridorum* nempe et *liquidorum*. Ad has mensuras eo accuratius determinandas, Iudaei cum plerisque populis orientalibus illas ad quantitatem mediocrium ovorum gallinaceorum redigere solent.

MENSURAE ARIDORUM SUNT:

Ovum.	1	6	24	$43\frac{1}{5}$	144	432	2160	4320
Quarta pars cabi, seu רבוע.		1	4	$7\frac{1}{5}$	24	72	360	720
Cabus.			1	$1\frac{4}{5}$	6	18	90	380
Omer.				1	$3\frac{1}{3}$	10	50	100
Satum.					1	5	15	30
Epha.						1	5	10
Letech.							1	2
Corus sive Chomer.								1

MENSURAE LIQUIDORUM SUNT:

Ovum.	1	1 1/2	3	6	18	24	36	72	433
Quarta pars logi.		1	2	4	12	16	24	48	288
Dimidius logus.			1	2	6	8	12	24	144
Logus.				1	3	4	6	12	72
Quarta pars Hin.					1	4 1/2	2	4	24
Tertia pars Hin.						1	1 1/2	3	18
Dimidium Hin.							1	2	12
Hin.								1	6
Bathus.									1

In Novo Testamento aliae praeterea mensurae apud gentes usitatae memorantur, ut aridorum χοῖνιξ, choenix, Apoc. 6, 6. Liquidorum ξέστης, sextarius, Marc. 7, 4-8, et μετρητής, metreta. Ioan. 2, 6.

§. 8. DE VESTITU

Protoparentes primum se foliis ficuum, deinde pellibus contegebant, donec tandem pili, lana, gossypium et linum in fila ducerentur et texerentur, quae omnes artes summam antiquitatem attingunt. Gen. 14, 33. Iob 7, 6. Materia pluris aestimata erat pannus xylinus. Albus, qui demum etiam βύσσος dicebatur, erat praecipuus et ad vestitum divitum adhibebatur. Xylinus pannus purpureus vestis erat regia. Simplicissima ideoque antiquissima vestis erat *Tunica*, χιτών, nempe linteum vel pannus, qui *cingulo* circa lumbos in orbem alligabatur, et usque ad genua pertingebat. Hoc perizoma postea, usque ad collum et talos prolongatum, etiam manicis instructum fuit. Sub tunica gestabant *vestem angustam* instar subuculae, sub qua et super cute habebant *indusium*. Vestis quae super tunica induebatur, erat pannus latissimus qui aliquoties ἱμάτιον aliquoties etiam *pallium* dicebatur. Alia praeterea memorantur vestimenta, ut σινδών quod erat xylinum tegumentum nocturnum, χλαμύς quod est nomen pallii graeci, φελόνης vel φαινόλης, seu poenula quod romanum est pallium pluviale. Olim usitata non erant nisi σανδάλια, ὑποδήματα, quae loris vel corrigiis alligabantur. Pauperes soli discalceati incedebant: in solo luctu vir gravis ita incedebat. Solvere et ligare sandalia officium erat servorum infimorum. Barba Hebraeis insigne erat decus; radi autem summum erat dedecus. 1. Paral. 19, 3-5. Capillos etiam alebant; interdum novacula succidebant, quod solis Nazaraeis in-

terdictum erat. Num. 5, 6. ut viri, ita etiam feminae caesariem alebant, eamque praeterea plectebant, aurum gemmasque intertexentes. 2. Reg. 9, 3. Initio solum capitis tegumentum erant capilli, qui postea linteo vel panno ligabantur, qui pannus tandem in diversas mitrarum species conversus fuit. Viri non minus ac feminae caput numquam aperiebant, neque in ipsis precibus in templo. 2. Reg. 9, 30. Discrimen vestitus muliebris a virili exiguum quidem erat, nisi quod feminae vestes gererent longiores, capillos aliter comerent, et praesertim *peplo* uterentur, quod vix unquam deponebant. Quale fuerit peplum, 1. Cor. 10, 11. ἐξουσία ἐπὶ τῆς κεφαλῆς dictum, ignoratur. Hebraei ad pompam, gestabant baculum, item sigillum annulo non raro insculptum. Mulieres plures in digitis annulos, torques, armillas et pericarpia gerebant. Marsupii locum quidem cingulum subibat; matronae tamen marsupia aurea in cingulo pendula ferebant. Sudarium pro utroque erat sexu. Amictus festivus non nisi sumptuositate distinguebatur. Vestis lugubris seu cilicium, iam Gen. 37, 34., obvium, erat reapse saccus, foraminibus pro transmittendis brachiis instructus. Materia erat rudior pannus niger.

§. 9. DE ALIMENTIS ET CONVIVIIS

Prima hominum alimenta erant fructus. Demum ars excogitata fuit semina pinsendi, indeque coquendi panem. Ante Diluvium κρεωφαγίαν illicitam fuisse, ex prima cibi assignatione, carnis concessione demum Noemo facta, aliisque rationibus, plusquam probabile fit. Primitus omnia alimenta cruda deglutiebantur; quia usus ignis ad praeparationem ciborum ignotus erat; quo invento coeperunt quipiam frumentum torrere; conteren-

do autem grana frumenti, ut molestiae masticationis parcerent, invenerunt mortaria, denique molas, quae iam tempore Abrahami videntur fuisse notae. Molae autem omnes erant manuariae. Asinariae multo sunt recentiores. Matth. 18, 6. Panem coquere erat matris familias etiam principis, Gen. 18, 6.; ast matronae eum laborem postea ancillis suis reliquerunt. Forma pànum erat rotunda. Cibos parare etiam erat matrum familias; lentes praecipue in deliciis habebant; carnes non nisi hospitibus et in convivio apponebantur. Postea tantum factae sunt quotidianae. Prima carnium praeparatio erat assatio. Inter cibos Hebraeis interdictos alii erant *immundi,* alii *altari consecrati.* Iis interdictis cautum erat, ne Hebraei cum gentilibus manducarent, aut epulas idololatricas frequentarent, et ita ad cultum idolorum seducerentur; his autem posterioribus reverentia erga ea, quae ad cultum divinum spectabant, inculcabatur. Animalia munda erant 1° e quadrupedibus ea quae *ruminabant et fissas ungulas habebant.* Lev. 11, 3., qualia Iudaei decem numerant. 2.° E piscibus ii qui pinnas et squamas habebant. Lev. 11, 9. 3.° ex avibus omnes, exceptis iis quas legislator loco citato ℣. 12 et seqq. vetuit. 4° e reptilibus quatuor locustarum genera. Reliqua reptilia omnia et super ventrem incedentia esu interdicta erant. Nullum autem animal Iudaeis immundius sue habebatur. Ad potum utebantur ordinario *aqua pura,* aut vino aqua diluto, quod admodum generosum erat. Σίκερα secundum alios significat omnem potum inebriantem; secundum alios vero *vinum novum,* vel etiam vinum e tritico, melle aut palmis paratum. *Prandii tempus* ordinarium statuitur hora quinta, seu nostra undecima, quod minutum erat et fere fructibus constabat. Refectio praecipua erat coena, circa horam sextam vel

septimam, id est post occasum solis. Ante mensam lavabantur manus. Ante et post mensam a patre familias dicebatur congruens ferculis et potui benedictio vel gratiarum actio. Ad coenam pavimentum corio rotundo sternebatur, super quo humilis ponebatur mensa. Sedes erant ipsum pavimentum tapetibus vel culcitis stratum, in quibus coenantes genibus flexis, dextera mensae obversa, quasi alter in alterius sinu recubaret, per orbem corii sedebant. Aetate Christi mensae accumbebant. Aderant in coenaculo lecti, quorum quilibet tres personas capiebat. Inde nomina *triclinium*, *architriclinus*. Convivae in latere sinistro accumbebant, facie ad mensam versa, et quidem secundus occipite ad pectus primi, et tertius occipite ad pectus secundi, et ita rursus alter in sinu alterius recumbebat. Luc. 7, 36-38. 16, 22-23. Lectus medius et medius in eo locus erat honoratior, quem Pharisaei ambiebant, Luc. 14, 7-10. Cibos digitis manus dexterae, ex patina in os inferebant. Itaque cultro et fuscina opus non erat. Antiquitus singulis singulae portiones apponebantur; qui plures portiones accipiebat, honorabatur; recentiori aevo ex eadem patina omnes manducabant. Potus antiquitus cuilibet in singulari calice tribuebatur, qui inde tropice pro hominis sorte accipitur. Convivia quae semper erant coenae, erant splendidissima, et laetitiam significabant. Hospites per servos invitabantur et omnes in vestimentis festis, id est albis, comparebant, coenaculum lampadibus illustrabatur et musica resonabat.

§. 10. DE SOCIETATE DOMESTICA

Primaeva institutione par individuum consortium viri et mulieris Gen. 1. 27-28., omnis fornicatio, vaga libido et polygynaecia damnabatur. Lamech primus duas

uxores sumpsit et multos postea imitatores nactus est, nec post Diluvium, exemplum Noemi multum profecit. Post Diluvium polygamiam nec in lege naturae, nec in lege mosaica fuisse vetitam, vel ex hoc solo constat, quod viri sanctitate conspicui plures simul uxores habuerint. Itaque haec polygamia referenda est in numerum eorum quae Deus ob σκληροκαρδίαν in hac gente quondam toleravit, Matth. 19, 8. Huic malo remedium afferre conatus est Moyses, referendo primitivam matrimonii institutionem, et varia incommoda quae inde oriri nata sunt. His aliisque dispositionibus polygynaecia progressu temporis, multum imminuta fuit. Sponsam vel sponsum filio vel filiae suae petebat pater familias. Impedimenta matrimonii secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum non excedebant; praeterea etiam connubia cum Chananaeis, et a tempore Nehemiae, cum omnibus alienigenis prohibita erant, ne sic per connubia ad idololatriam pellicerentur. Sponsalia erant pactum inter patrem fratresque germanos sponsae et patrem sponsi, a quibus sponsalibus usque ad nuptias intervallum aliquot mensium relinquebatur. Die nuptiarum sponsa ornata e domo paterna in domum sponsi *ducebatur* ubi *solemniter* ipsi in uxorem tradebatur. Hi autem ritus tantum in usu erant pro *uxoribus primariis* seu *legitimis*, non vero pro *secundariis*, quae etiam concubinae dicebantur. Peculiarem apud Iudaeos attentionem meretur Ius *Leviratus*. Quo enim familiarum distinctio, inque iisdem avita bona conservarentur, frater fratris sui sine liberis mortui viduam ducere debebat. Deut. 25, 5. Frater tamen hoc onere se liberare poterat, concessa viduae venia ipsi sandalia solvendi, coram facie eius in terram exspuendi, et scommate *discalceati*, i. e., dilapidatoris ipsum compellandi. Adul-

terium supplicio mortis, nempe lapidatione, plectebatur. Exod. 31, 14. 35, 2. Num. 15, 35-36. De adulterio suspecta mulier poterat a marito deferri ad sacerdotem, qui ei *aquas amaras* bibendas porrigebat, e quibus si illa nihil mali pateretur, innocens erat; si vero doloribus intestinorum vehementibus torqueretur, crimen eam vere admisisse, constabat. Num. 5, 11-31. Cfr. Anal. Becani, cap. 23.

Certum est Iudaeis permissum fuisse, uxores suas dimittere, et illis dare libellum repudii. Deut. 24. 1. Id autem Deus illis permisit ob duritiam cordis. Non clare nobis constat, ob quas causas id licitum fuerit. Dato libello repudii, vere dissolvebatur matrimonium, et uterque poterat ad alterum connubium transire. Repudium penes solos erat maritos; divortium vero etiam penes uxores; at in divortio manebat vinculum matrimonii, fiebatque tantum separatio a cohabitatione et thoro. Cfr. Anal. Bec. cap. 24. Ex lege, mulier, nato filio, post 40 dies; filia vero, post 80, quibus erat *immunda*, in templum veniebat, et agnum anniculum, vel si pauper erat, duos turtures vel duos pullos columbae in sacrificium purificationis offerebat. Levit. 12, 1. Octavo nativitatis die, filii circumcidebantur et in carne sua cultui Dei et verae religioni consecrabantur. Gen. 17, 10. Nomina quae infantibus imponebantur, particulari quadam significatione non carebant. Primogenitus magnis gaudebat privilegiis: etenim 1° capiebat duas portiones haereditatis; 2° erat sacerdos familiae, quod Moyses, iubente Deo, in tribum Levi transtulit, Num. 3, 12.; quare primogeniti a sacerdotio erant redimendi. 3° Potestate fere paterna in fratres gaudebat. Filii usque ad annum aetatis quintum in gynaeconitide versabantur, et tum transibant in disciplinam patris;

filiae manebant in gynaeconitide, oeconomiam et artes muliebres discebant, donec nuptui traderentur. Potestas patris in familiam erat maxima. Defuncto patre, filii propriam oeconomiam ex haereditate obtinebant. Filiae exhaeredes erant; item viduae, et a filiis vel consanguineis erant sustentandae; atque ideo tam saepe prophetae in neglectum viduarum invehuntur. Societas domestica per servos seu mancipia magnum incrementum capiebat, quo plures patriarchae quasi reguli etiam 20,000 subditorum fiebant. Viae ad servitutem ducentes erant 1° captivitas. 2° Debita quibus solvendis debitor erat impar. 3° Furtum, quod fur reparare nequibat. 4° Plagium, quo homo liber tempore pacis in servitutem redigebatur. 5° Nativitas e contubernio servili. 6° Venditio. Servi a dominis recipiebant victum et vestitum; quae vero ab illis acquirebantur, domini erant. Etsi in hoc hominum genus durius nonnumquam actum sit, negari tamen nequit, mancipia Hebraeorum multo meliore sorte quam aliarum gentium, gavisa fuisse. Cfr. Anal. Bec. cap. 16.

§. 11. DE MORIBUS ET RITIBUS CONVERSATIONIS

Etsi indoles Hebraeorum communia orientalibus vitia exhibeat, nimiam arrogantiam, luxum et pompas, tamen insignia quoque virtutum exempla in eis occurrunt; quorum quidem mores si cum Romanorum, Graecorum, Aegyptiorumve vita in comparationem adducantur, omnes veteres populos videbuntur nobili quadam simplicitate, mira rei rusticae industria, fidelitate, iustitia, humanitate seu proximi charitate, superasse. Cfr. *Mœurs des Israëlites*. Elegantia morum, etsi ad nostrum morem non sit conformata, Hebraeis nunquam defuit, eaque in re excessus potius quam defectus vi-

detur arguendus. Eorum salutatio et valedictio quamdam benedictionem complectebatur; in excipiendo hospite, summa monstrabatur pompa; dona autem ultro citroque ferebantur magnificentissima, aurum, argentum, vestes, arma, quin etiam alimenta. Gen. 43, 11. Conversatio, qua tempus fallebant, erat in ianua urbis. Illic considentes otiosi spectabant introeuntes et exeuntes, nundinas et iudicia, quae hic quoque agitabantur. Gen. 19, 1. Balnea ipsis erant acceptissima, atque etiam, causa munditiei, lege praescripta. Lev. 14, 2. Humanitatem erga peregrinos Moyses vel maxime inculcavit, et pauperibus abunde providit. Tandem pauca dicamus de munditiis legalibus, quas lex mosaica accuratius definivit, ut Hebraei, iis observatis, a periculo seductionis et lapsu in idololatriam essent remotiores. Immundi neminem tangebant; quos vero tangebant, immundos reddebant, et omnes a tabernaculo et templo erant exclusi. Immundi erant 1° Puerperae. 2° Leprosi. 3° Seminiflui. 4° Polluti coitu. 5° Menstruatae. 6° Hemorrhoissae. 7° Qui attigerant immundos, cadaver hominis aut animalis, ossa mortuorum, sepulchrum, et qui erant in loco morientis vel mortui. Cfr. Anal. Bec. cap. 15, 2-5. Hi immundi variis ritibus purificabantur, et sic societati, tabernaculo et templo restituebantur.

§. 12. DE MORBIS, MORTE, SEPULTURA ET LUCTU

Simplex vitae ratio satis raros, apud Hebraeos, reddebant morbos, quos fere omnes tamquam peccatorum poenas a Deo immissas habebant et forte etiam, etsi morbi saepe poenae divinae sint, nimia aliquoties hic credulitate laborarunt. Praecipui morbi sunt 1° lepra quae generatim climati calidiori proprius est morbus.

In cute quidem exteriori sese exserit; at telam etiam cellulosam, imo ossa et medullam atque articulos ossium inficit, ut extremi membrorum articuli sensim emoriantur, dissolvantur et decidant, et corpus horrendum in modum mutiletur. Hinc liquet materiam morbi ex internis partibus in externas propelli. Eruptio morbi non semper est eadem; plerumque tamen macula est exigua circa nasum vel oculos, quae per aliquot annos dilatatur, et tandem totum corpus occupat. Dolor non est omnino vehemens, sed debilitas maxima. Gravior lepra omnem medicorum artem fallebat; levior in principio sanari poterat. 2.° Pestis, quae morbus est aeque horribilis, sed minus diuturnus: infectos enim cito et post paucos dies interimit. Eo malo Deus exercitum Sennacherib, 185,000 millibus hominum constantem, interemisse videtur. Quod spectat mortem, Hebraei eam habebant tamquam exceptionem apud maiores et parentes defunctos; vitam vero ut iter vel peregrinationem. Hinc usitatae de morte phrases: *excipi apud populos suos*, *venire ad patres suos*, *ire*, *abire*, *dormire* vel *cubare apud patres* vel *maiores*. Non omnes tamen mortem tam amicam intuebantur; inde etiam aliae mortis imagines multo terribiliores in Scriptura s. reperiuntur. Mortuo oculos claudebant filii vel amici. Gen. 46, 4. Cadaver lavabatur. Act. Ap. 9, 37., et porro ad sepulturam praeparabatur, sicque nisi statim sepeliretur, in coenaculo deponebatur. Cadavera etiam, ut in funeribus Iacob et Iosephi patet, ad morem Aegyptiorum condiebant. Recentiores Hebraei cadaver in sindonem et caput in sudarium involvebant, et multis fasciis ligabant. Haec omnia vocabantur ὀθόνια. Imponebant quoque aromata, quod ἐνταφιάζειν dicebatur et ab amicis et propinquis peragebatur. Matth. 16, 1. 26, 6-14. Funere

consueto privari summa erat ignominia. Patriarchae mortuos, aliquot post mortem diebus, sepeliebant. Gen. 23, 2. Funus et ipsam depositionem in sepulchrum curabant filii, propinqui, amici aut servi. Loculus seu cista usitata non erat. Propinqui cadaver fasciis et sindone ligatum et feretro impositum, portabant ad sepulchrum. Magnates quam plurimorum comitatu honorabantur. Sepulchra extra urbes et pagos sita erant. Humatio in sepulchro paterno singularis honos; eo autem excludi ignominiosum reputabatur. Plebs mortuos in terram defodiebat; potentiores habebant cryptas subterraneas seu specus. Hae specus partim iam aderant, partim recenter effossae aut saxis excisae erant. Hebraei sepeliendis mortuis nullam rem vivis utilem addebant, nisi forte heroibus arma quibus vivi erant usi, et regibus insignia regia. Monumenta sepulchralia, quae μνημεῖα dicuntur, ab Abrahamo usque ad Christi aetatem occurrunt. Luctus orientalium erat maximus; erat autem duplex; privatus et publicus. In luctu privato feminae quae erant e familia mortui, tristem lessum insonabant, vestes lacerabant, capillos sibi evellebant, unctionem capitis, balnea et colloquia intermittebant, pulveres aut cineres in caput spargebant, ieiunabant, vino abstinebant et epulas evitabant. Post humationem quoque sepulchrum adibant, mortuum deploraturae. Viri quidem erant moderatiores; non desunt tamen exempla eiusdem vehementiae. Mortuos lugebant propinqui per octiduum; reges vero et alios insigniores totus populus luctu 30 dierum prosequebatur. Gen. 50. 4. Posterior hic luctus qui non ad unam familiam, sed ad universum populum pertinebat, erat publicus, edebaturque, cum publica aliqua clades incidit, ut mors principis de republica bene meriti, vel cum clades aliqua

vel iam esset accepta aut imminere videretur, ut sunt sterilitas, fames, hostium incursio, clades et depopulationes. Quaecumque essent luctus causae, numquam omnia illa signa, sed iam haec iam illa edebantur.

CAPUT OCTAVUM

DE ANTIQUITATIBUS POLITICIS ET SACRIS

§. 1. DE REPUBLICA HEBRAEORUM

Initio quilibet paterfamilias potestatem paternam exercebat in suos domesticos, quaelibet tribus parebat principi suo, qui primitus erat primogenitus auctoris tribus; progressu vero temporis electus fuisse videtur. Hoc imperium patriarchale Hebraei in Aegypto conservarunt, ut magnam partem a Pharaonibus, regiminis forma, non dependerent. Aucto enim populo, plures patresfamilias, quempiam e cognatis insigniorem, primatem elegerunt, qui primores populi, *senes* vel *senatores* vel *capita tribuum* vocabantur. Posteri Abraham ad veram religionem conservandam destinati, eam inter gentes idololatras non conservassent, nisi Deus eos ab ipsis in singulari quadam regione separasset. Eo autem tendebant omnia, quae lex mosaica praescribebat. Itaque Reipublicae hebraicae lex fundamentalis ideo lata fuit, ut solus verus Deus coleretur, atque ut id eo certius obtineretur, Deus se per Moysen Hebraeis Regem dedit, et Canaan ab eis occupanda, declarata fuit regio Regis Dei, cuius Hebraei non essent nisi coloni haereditarii. Deus, electus rex, in monte Sinai fundamentales religiosae civitatis leges promulgavit. Exod. 20. Ne

deinceps populus oblivisceretur, Deum esse regem Hebraeorum, omnia ad Deum referebantur ita, ut sacrum tentorium simul esset templum Dei et palatium regis; mensa cum pane et vino esset simul mensa regia, sacerdotes et Levitae essent ministri regii, qui et cultum divinum curarent et munera civilia obirent. Ne Hebraei a Deo et rege suo deficerent ad gentes idololatras, leges et ritus particulares ipsis dati sunt. In hac theocratica civitatis forma manserunt pleraque, qualia prius sub patriarchis fuerant. Principibus tribuum, praefectis familiarum et genealogis conservata est antiqua auctoritas. Num. 11, 16. Moyses tamen, consilio soceri sui Iethro, addidit Iudices, qui, per totam Palaestinam dispersi, eam regionem regerent, sic tamen ut inferiores iudices superioribus essent subordinati, causae difficiliores ad superiores, difficillimae ad Moysen, post eum vero ad summum sacerdotem, vel rectorem Reipublicae, si aderat, devolverentur. Iudices, saltem superiores, proceribus accensebantur. Congregati unius tribus proceres, comitia tribus et congregati omnes, comitia generalia constituebant, et universum populum repraesentabant. Iud. 1, 1-11. Itaque quaelibet tribus ab aliis independentem constituebat civitatem; si vero causa ad plures vel omnes tribus spectabat, etiam a pluribus vel omnibus tractabatur. In iis comitiis generalibus sive senatu, pax decernebatur, foedera pangebantur, proceres atque etiam reges eligebantur. Ut vero haec theocratica regiminis forma non mera esset fictio, ut apud caeteras gentes, Deus ipse graviores lites dirimebat, ad quaestiones propositas respondebat, poenas minabatur, et contumaces modo insolito puniebat. Sic supremum reipublicae rectorem se monstrabat Deus; Moyses autem reipublicae tantum erat administrator et

legislator. Deus per 16 saecula, Israelitas ad eam normam gubernavit, quam eis per Moysen annuntiaverat, ut nempe prosperis vel adversis rebus uterentur, prout fidem Deo datam conservarent vel fallerent. Ex hac notione fundamentali tota historia V. T. in prosperis et adversis est iudicanda. A Iosue usque ad Samuelem id ipsum docet Liber Iudicum. Quum deinde monarchia institueretur, electio regis per sortem Deo commissa est, ut rex non esset nisi vicarius Dei regis, ac eadem regiminis divini norma maneret. Quia vero Saul non ubique se Dei vicarium gessit, regnum ab ipso ad Davidem translatum fuit. David eamdem normam religiose secutus est, quae etiam in libris Regum et Paral. observatur. Sic, Deo regente, vera inter Hebraeos religio conservata, et ad alias quoque gentes propagata fuit ita, ut inter eas quoque non pauci essent unicum verum Deum colentes.

§. 2. DE REGIBUS, EORUMQUE MINISTRIS ET ALIIS MAGISTRATIBUS

Inauguratio regum Hebraeorum nomine *Unctionis* venit; quia haec praecipuus erat illius ritus. Solemnitates inaugurationis regiae praecipuae sunt: 1.° Rex, militibus stipatus, in locum publicum, recentiori aevo in templum ductus, a summo sacerdote ungebatur oleo sacro. 2.° Diadema capiti et sceptrum manui tradebatur. 3.° Pactio et conditiones imperii ei proponebantur, iurabatque se iuxta pactionem et legem Moysis gubernaturum. 4.° Inauguratus, populo clamante: *vivat rex*, urbem intrabat. 5.° Denique in throno considebat et gratulationes excipiebat. Vestitus regum erat splendidus, et comitatus amplus et magnificus. Diadema, quod erat taenia duos pollices lata, et capiti vel mitrae

circumligata, erat purpureum albo distinctum. Thronus erat sella, crepidine a tergo et cubitalibus instructa, tantae altitudinis, ut pedibus scabello opus esset. Sceptrum erat baculus deauratus. Mensa regia luxu abundabat. Vasa erant aurea et musica resonabat. Ad Reges, qui multa ipsimet tractabant, satis facilis patebat exitus. Famam aucupabantur e magnificis palatiis e templis, quae aedificabant, e sepulchris saxo excisis, ex hortis quos plantabant, e munimentis urbium quae extruebant, et ex aliis quibus urbes exornabant. Ipsorum iura erant restricta atque ipsi legibus suberant. Vicarii Iehovae omnia quae legi contraria erant, impedire, quae vero ad legis mosaicae custodiam conducebant, mandare et exequi tenebantur. Quod si negligebant, a prophetis, legatis Dei, reprehendebantur. Leges mosaicae per genealogos populo promulgabantur; mandata vero et leges regum per praecones proclamabantur. Regum proventus erant: 1.° Dona spontanea. 2.° Greges. 3.° Agri, vineae et horti. 4.° Tributa ipsis ab Hebraeis promissa. 5.° Praeda devictis populis ablata. Praecipui magistratus regii erant: 1.° Consiliarii regis, ad quos 2.° etiam pertinebant prophetae a piis regibus consulti. 3.° Cancellarius, qui omnia quae in regno contingebant, ad regem referebat, et haec, uti omnia regis gesta et iussa, litteris mandabat. 4.° Summus quoque sacerdos magistratibus seu consiliariis regiis accensebatur. Praeter hos magistratus, erant etiam varii ministri aulici; quales erant ii 1.° qui proventus ad mensam regis spectantes curabant, 2.° qui aulam gubernabant, sive qui curabant ea quae ad aulam spectabant, 3.° qui praeerant cubiculo vestium, quas rex donabat iis quos honorare volebat, 4.° qui dicebantur *amici regis*, quibuscum reges familiariter conversaban-

tur. Hi ministri aeque ac magistratus regii ab arbitric regis pendebant; sed et ipsi subditos pro arbitrio tractabant; atque inde illae querelae prophetarum de oppressionibus et violentiis. Is erat suae regiminis formae apud Hebraeos amor, ut in exilio et post exilium retinerent capita familiarum et principes tribuum, qui sub imperio praefectorum regiorum suas tribus aut familias gubernarent. Post reditum in patriam parebant suo praesidi provinciae ampla potestate instructo, ut Zorobabeli, Esdrae et Nehemiae. Sic in Aegypto suum habebant alabarchum, in Syria vero ἄρχοντα. In imperio romano, etiam ipsi lites civiles per suos arbitros dirimebant, quorum sententiam praetor exequebatur. Quum Galli, facta irruptione in Asiam minoren, a rege Bithyniae eam regionem obtinuissent, quaepiam provinciae divisae fuerunt in tetrarchias, sic ut quaelibet tribus in quatuor partes distribueretur, quarum singulae suis tetrarchis, tetrarchae vero regi parebant. Hoc vero nomen postea latius patuit. Quum Iudaea in formam provinciae romanae esset redacta, gubernabatur a procuratore qui in N. T. vocatur ἡγεμών. Hi procuratores non a senatu, sed a Caesare in eas provincias mittebantur, ut tributa exigerent, iustitiam administrarent, et tumultus compescerent. Praesidium eorum erant sex militum cohortes, σπεῖραι, quarum quinque erant Caesareae, ubi procurator residebat, et una Ierosolymae. Vectigalia provinciarum conducebantur ab equitibus romanis, qui inde *publicani*, ἀρχιτελῶναι aut τελωνάρχαι dicebantur; hi in provinciis conductis suos habebant vectigalium exactores, qui τελῶναι dicebantur.

§. 3. DE IUDICIIS ET POENIS

Ex lege mosaica per omnes urbes erant iudices qui etiam pagis adiacentibus ius dicebant. Appellationes ad summum iudicem, seu rectorem reipublicae et, eius defectu, ad summum sacerdotem spectabat. Aetate Machabaeorum supremum tribunal, seu συνέδριον, Thalmudicis Sanhedrin, compositum 72 iudicibus, institutum fuit. Praeses semper erat summus sacerdos; assessores erant 1° ἀρχιερεῖς; 2° πρεσβύτεροι; 3° γραμματεῖς. Ad hoc tribunal spectabant appellationes et causae gravissimae. Aetate Christi, huius tribunalis potestas limitata erat per Romanos; licebat quidem supplicium decernere; illud vero exequi procuratoris romani erat. Erant praeterea synedria 23 iudicum, seu tribunalia synagogarum quae solas religionis causas tractabant, et synedria 3 iudicum qui erant solummodo arbitri Iudaeis a Romanis concessi in causis civilibus. Tempus quo causae in foro agebantur, erat matutinum; iudicia erant publica: agebantur enim in ianuis urbium ad eum usum adaptatis, prope quas portas etiam reperiebantur et nundinae et publicae ambulationes. Quidquid ad iudicii formam spectat, id ad sequentia reduci potest: 1° Actor et reus sese sistebant iudici vel iudicibus. 2° Actor stabat ad dexteram rei. 3° Causa plerumque testibus iuratis, ad minus duobus, agebatur. 4° Sententia mox post examen pronuntiabatur et executioni mandabatur. Poenarum varia erant apud Iudaeos genera. 1° Verisimilis videtur eorum opinio, qui contendunt supplicium crucis etiam apud Hebraeos fuisse supplicium ordinarium. Crucifixio tam tetra, tam crudelis simul et tam ignominiosa erat poena, ut Cicero, 5. in Verrem 64 et 66, dicat, eam ab oculis auribusque et omni cogitatione

hominum removendam esse. 2° Carcer etiam poenae rationem habebat. 3. Tympanum, quo tormenti genere homines distendebantur et multis plagis, instar tympanorum, feriebantur. Hoc supplicio affecti fuere plures V. T. martyres. Hebr. 11, 35. 4° Flagellatio quae magnam habet cum tympanismo similitudinem. Deut. 25, 2. 5° Decollatio qua caput ense resecabatur. 6° Combustio, quae duplex erat, *corporis*, quum corpus circumpositis fascibus combureretur; et *animae*, quae fiebat liquato plumbo ori infuso. 7° Privatio sepulturae poena erat vel maxime ignominiosa, et rarissime inflicta videtur. 8° Lapidatio, supplicium valde crudele et probrosum. Deut. 17, 7. 9° E rupe vel turri in terram proiectio, vel lapide ad collum alligato, in mare praecipitatio. 10° Vivorum, serrae usu, in duas partes dissectio. 11° Excommunicatio, cuius tres erant species; 1 Levissima, erat separatio a Synagoga et consortio Iudaeorum per dies triginta. 2ª est anathema, quae excludit ab omni communione, ita ut solummodo victualia reo a Iudaeis emere liceret. 3ª est gravissima quae ab omni prorsus communione Iudaeorum excludit. 12° Poena talionis qua qui alterum laeserat, idem quod illi intulerat damnum, iterum subire teneretur. Exod. 21, 24. Non hic agendum putamus de causis debitorum, de mulctis, poenis furti et restitutione. Sententias mortis a rege latas, exequebantur milites praetoriani. Homicida a vindice sanguinis, h. e. a proximo cognato, etiam a fratre interficiebatur. Gen. 9, 6. Lege mosaica sex erant *urbes refugii*, tres trans, tres vero cis Iordanem. Eo quicumque praeter intentionem, vel iniustum vitae aggressorem vel furem nocte occidisset, poterat confugere, illicque manere debebat usque ad mortem summi sacerdotis. In iis urbibus omnes quidem reci-

piebantur, sed etiam examinabantur, et si rei deprehenderentur, vindici sanguinis tradebantur.

§. 4. DE RE MILITARI

E rixis singulorum natae sunt progressu temporis, pugnae familiarum, praelia tribuum, et demum bella gentium et populorum. Patriarchae, ut ad vim vi propellendam semper essent parati, initio servos suos armis instruxerant; postea, auctis in tribus familiis, quilibet ingenuus armis assuefiebat, et contra hostes in arenam descendebat. Hebraei posthac vicinis bello ut minus pares, sub Davide eis facti sunt multo superiores. David militem auxit, Salomon equitatum et currus bellicos invexit. Post exilium rei militaris celebres fuere auctores Machabaei; verum eorum posteri aeque ac omnes aliae nationes, praepotentibus Romanis succubuerunt. Omnes Iudaei, rebus id petentibus, militabant. Aetas bello apta erat *iuvenilis* et *virilis*, ab anno vigesimo ad quinquagesimum. Conscriptiones curabant principes tribuum, per genealogos, per quos etiam, instante bello, fiebat delectus. Milites in varia agmina maiora aut minora distributi erant, quibus a numero, nomina *millenorum*, *centenorum*, *quinquagenorum* etc., imponebantur, Iud. 20, 10., singulisque sui praefecti praeerant, qui χιλιάρχων, ἑκατοντάρχων, πεντηκοντάρχων, et δεκάρχων nomine veniunt in Scriptura sacra, quique omnes post Moysen et Iosue, Iudici, regi, aut *principi* imperatoris personam agenti parebant. Equitatus, currus bellici et exercitus pedestris, diversa erant agmina. Exod. 14, 6. Exercitus quoque pedestris, iuxta diversitatem armorum divisus erat in *velites* qui funda, iaculis, arcu, sagittis, pharetra, gladio et recentiori saltem aevo parma armati, hostem eminus impetebant, et in *hastatos*, qui

gladiis, hastis et clypeis armati cominus pugnabant. Militum fiebat lustratio, quando et ipsi in agmina divisi, et varia eorum arma *inspiciebantur*. De his armis iam pauca dicamus. 1.° Praecipuum instrumentum quo ad defensionem utebantur, erat *clypeus*, qui erat ex levi ligno paratus, vel ex salicibus plexus et pellibus taurorum coopertus. Pelles ungebantur, ut glabrae essent. Rari erant clypei aerei; ansa clypei varia. Aggressuri hostem clypeos manu sinistra in ansa tenebant, et invicem complicatos, quasi murum, armis hostium obiiciebant. Moenia urbium adorturi, clypeos super capita mutuo compactos tenentes, testudinem, seu tectum omnibus missilibus impenetrabile, formabant. 2.° *Galea*, περικεφάλαιον, erat mitra frontem, verticem et occiput contegens, et superius setis equinis et crista ornata. 3.° *Lorica*, θώραξ, plerumque duabus partibus constabat, quarum altera pectus et ventrem, altera tergum tegebat. His 4.° addi possunt munitiones, nempe moenia, turres, muri introrsus sinuati, fossae, portae etc. 5.° Arma quibus cominus pugnabatur, ut gladius, μάχαιρα, et hasta, quae erat pertica lignea, cuspide ferrea munita. Clava Hebraei vix usi videntur. 6.° Arma quibus eminus pugnabatur, ut iacula, arcus, sagittae, pharetra et funda quae armis antiquissimis accensenda est. 7.° Tormenta, quarum altera catapultae vocata, veluti maiores arcus per machinam tensi, non modo sagittas, sed et maximas trabes, summa vi proiiciebant; altera vero dicta balistae, etiam per machinam tensa, magnos lapides et globos plumbeos iaciebant. 8.° Arietes, h. e. trabes longae, quarum extremitas aerea in caput arietis conformata erat. Quae trabes manibus portatae, et catenis in aequilibrio suspensae contra moenia agitabantur. 9.° Arma Hebraeis quam maxime terribilia erant

currus bellici, quos plurimos habebant, et quibus in planitie pugnantes magnam stragem edebant. Iam pauca de castris, rebusque ad ea pertinentibus dicenda veniunt. Sequentia in metandis castris apud Hebraeos observabantur. Meditullium occupabat sacrum tabernaculum, tamquam palatium regis. Proxima tentoria erant Levitarum. Populus in quatuor agmina erat divisus, et quodlibet trium tribuum, suum habebat signum. Singulae etiam familiae tribuum proprium habebant signum, et ita quilibet Israelita se ad suum agmen et ad suum signum locabat. Haec castra rotunda fuisse videntur. Similis ordo in itinere observabatur. Quando nubes super sacro tabernaculo ascendebat, quilibet ad buccinae clangorem, vexillum et signum suum sequebatur, donec nubes descendendo, castra metanda esse, moneret. Ante bellum consulebant Urim et Hummim, seu sortem sacram. Iud. 1, 1. Post Davidem adibant prophetas. Bello repente exorto, populus missis nuntiis, clangore cornu bellici, in montibus ad arma vocabatur. Expeditio plerumque inchoabat vere; aestate non interrumpebatur; sed hiemalia agebantur. Ante praelium arma parabantur, exercitus in aciem ordinabatur, tum, sacerdotibus classicum canentibus, et concione ad fortitudinem adhortantibus, milites praelium inchoabant. Si cuipiam urbi imminebant, urbs ad deditionem invitabatur, quae si negabatur, urbs simplici, duplici vel etiam triplici corona cingebatur, atque ita assultu capiebatur. Obsidiones autem illae saepe erant valde diuturnae. Nota etiam erat, tempore Moysis, circumvallatio et vallum seu agger. Deut. 20, 19. Circumvallationes erant una aut plures fossae parallelae, quibus castra contra eruptiones obsessorum muniebantur. E terra effossa utrimque murus et turres construeban-

tur. Vallum seu agger erat mons declivis, et versus moenia semper altior, ut tandem illa aequaret. Ex eo aggere arma emittebant in moenia, donec tandem, ariete admoto, ea perrumpere possent. Ius belli olim ubique erat immane. Omnia sibi victores attribuebant; viri non raro interficiebantur; mulieres et proles vendebantur, et urbes evertebantur. Quare Hebraeis condonandum, si nonnumquam eo iure usi sunt, ut gentibus terrorem incuterent, et sic suae tranquillitati consulerent. Aliis tamen gentibus plerumque erant mitiores. Milites Hebraei tenebant quidquid arripuerant, exceptis hominibus et pecudibus. Praedae partitio inter milites erat aequalis, sive praelio interfuissent, sive castra custodiissent. Pecudes et homines capti vendebantur, et pecuniae inde paratae pars altera cedebat iis qui domi remanserant, qui tamen portionem quamdam Levitis tradebant; pars vero altera cedebat militibus, qui quingentesimam partem tradebant sacerdotibus. Si urbs anathemati fuerat subiecta, praeda omnis interdicta erat.

§. 5. CONSPECTUS HISTORIAE RELIGIONIS BIBLICAE

Praeter rationis lumen quod Deus homini indidit, et quod lapsu protoparentis obscurius lucet, etsi non sit extinctum, primi homines a Deo ipso educabantur, et ad agnitionem creatoris et gubernatoris universorum, atque ad morum disciplinam ducebantur. Ex castigatione Adamo eiusque posteris inflicta, ob violationem interdicti de esu ex arbore cognitionis boni et mali, discebant iustitiam Dei; e promissione vero Messiae, divinae misericordiae specimen accipiebant. Interim homo ad malum pronus, Dei cultum negligebat, atque versus annum mundi 235, res eo delapsae erant, ut

cultores Dei, sese nomine *filiorum Dei* a reliquis tamquam *filiis hominum*, distinguere cogerentur. Quod malum per connubia filiorum Dei cum filiabus hominum, i. e. irreligiosorum, latius serpsit, atque ideo, repetitis Dei monitis nihil proficientibus, Diluvium subsecutum est, a° 1656. Post hanc terribilem stragem, homines Deo non fidelius servierunt: nam paulatim Creatoris sui obliti, in nefandam idololatriam prolapsi sunt. Ne autem verus Dei cultus ubique aboleretur, Deus Abrahamum e Semi posteritate elegit, e cuius posteritate nasceretur populus fidelis, primum dictus Hebraeus, deinde Israeliticus, postremum Iudaeus. Hic credentium pater iussus seipsum totamque suam masculam posteritatem circumcidere, hoc circumcisionis signo a caeteris populis secernebatur. Promissiones Abrahamo factae, et officia ei posterisque eius per Isaacum et Iacobum imposita, totius V. T. sunt cardo, atque omnia deinceps secuta, ipsumque Novum Foedus, arctissimo vinculo cum iis connexa sunt. A° post Diluvium 427. Sic vera omnium patriarcharum religio e revelatione divina hausta, et a Noemo per traditionem accepta, cum eius posteris communicata fuit; neque eos latebat futurus Salvatoris adventus. Is Dei cultus fere orationibus, altaribus, sacrificiis, decimis, iureiurando, et votis absolvebatur. Annis post Abrahamum 430, populus Iudaicus, qui, post Iosephi elevationem in Aegypto, in immensum creverat, miraculose a Moyse inde eductus fuit, et per ipsum in monte Sinai legem accepit. Cum multi iam in Aegypto idola coluissent, et vix per tot tantaque miracula ad verum cultum essent reducti, cumque iterum inter gentes idololatras essent versaturi, ea lege vel maxime eis opus erat. Haec mosaica institutio, per omnes sequentes aetates, vim suam exseruit,

atque ita, a° post Moysen 486, templum unico Deo dedicatum fuit; et annis 467, post hanc dedicationem usque ad finem captivitatis babylonicae, prophetis continuo monentibus, populus a peccatis saepe ad poenitentiam rediit. Ex eo captivitatis babylonicae fine ad Christi adventum effluxere anni 538, atque toto illo tempore, populus Iudaicus non legitur sponte sua ad idololatriam fuisse prolapsus. Hisce ultimis ante Christum temporibus, Iudaei latissime dispersi sunt, et ubique locorum nanciscebantur proselytos. In Asia minori, in Graecia et demum Romae plures ad suam religionem adduxerant. Ea erat Romae proselytorum multitudo, ut non raro in comitiis praevalerent, et quia inquieti videbantur, a Tiberio Italia, atque a Claudio Roma discedere iussi fuerint, quin tamen iussa executioni mandarentur. Hac ratione providentia sternebat viam, qua religio christiana in totum orbem deferri posset, utque existentibus ubique Synagogis, Apostoli in eis Christum praedicare possent. Iudaei etsi magnis terrarum tractibus dissiti, inter se tamen iuncti erant per templum ierosolymitanum, quo omnes quotannis semisiclum undique mittebant, et, qui poterant, etiam ad festa proficiscebantur. Concordia haec minime turbabatur per tres sectas scholasticas, usu philosophiae in interpretatione Bibliorum, ortas: nam *Pharisaei* Stoicis, *Sadducaei* Epicureis, et *Esseni* Pythagoreis satis similes erant. Pharisaei dicti sunt a *Parasch* quod tria significat, 1° *expandere*, quia se oculis hominum expandebant; 2° *exponere* seu interpretari, quia legem mosaicam interpretabantur; 3° *dividere* seu separare, quia sese ab aliis tamquam iustiores separabant. Non certo constat, quo tempore haec secta coeperit; videtur tamen ante Ionathae Machabaei tempora, adeoque 150

annis ante Christum extitisse. Quod si eam sectam spectes secundum se et ex prima sua institutione, bona sane erat et laudabilis, sive doctrinam sive mores spectemus; at postea exortae sunt superstitiones et falsa dogmata, quibus obnoxii fuerunt posteriores Pharisaei tempore Christi, ideoque graviter ab eo reprehensi sunt; non quod omnes, sed plerique fuerint tales: constat enim aliquos ab iis vitiis fuisse immunes, ut Nicodemum, Gamalielem, aliosque. Hinc si Salvator dixit: *omnia quaecumque dixerint vobis, servate et facite,* i. e. omnia quae vobis dixerint lex et Moyses, recitantibus Pharisaeis, sive omnia praecepta legis mosaicae, moralia caeremonialia et iudicialia quae a Pharisaeis *publica auctoritate* vobis proponuntur, servate; merito tamen addidit: *secundum vero* opera *eorum nolite facere*, atque illud: *cavete a fermento Pharisaeorum.* Nam eo tempore, alios multitudine praeceptorum onerabant, ipsi vero nullum ex iis observabant. Deinde plura falsa dogmata doctrinae suae addiderant. Ita 1° Docebant omnia fato evenire. 2° Valde addicti erant astronomiae. 3° Dicebant animas iustorum migrare a corporibus in corpora, non ita malorum. 4° Nimium urgebant traditiones seniorum. 5° Male sentiebant de pietate filiorum in parentes. 6° Item de religione iuramenti. 7° Respuebant baptismum Ioannis, et negabant Christum esse Deum et Messiam. Cfr. Anal. Bec. cap. 9, quaest. 3.

Sadducaei nomen accepisse videntur a Sadoc, seu Tsadok, primo illius sectae conditore, vel etiam secundum alios a Zaddic seu Tsedek, quod est iustus. Cum Sadoc fuerit filius Antigni, pharisaei disciplina, constat Pharisaeos Sadducaeis fuisse antiquiores. Haec potissimum erant ipsorum dogmata· 1° Non credebant resurrectionem, neque animae immortalitatem, et, prae-

ter Deum, neque angelum neque spiritum, neque aliud quidpiam, quod non sensu et manifesta ratione comprehenderent. 2° Non admittebant traditionem, neque ullam Scripturae interpretationem. Hinc nata est distinctio inter *Rabbinistas* qui traditiones et interpretationes Rabbinorum admittebant, et *Caraim*, i. e., lectionarios textuarios, qui illas respuebant. 3° Solum Pentateuchum pro Scriptura s. admittebant. 4° Christo eiusque discipulis non modo omnem fidem negabant, sed vel maxime eis erant molesti. Maximam partem erant divites, et publicis muneribus fungebantur.

Esseni quos alii vocant Essaeos, alii Hasidaeos vel Asidaeos, unde sic nominentur, non omnino constat. Hi ordinem quempiam monachorum constituebant, et non modo in Aegypto, sed in aliis quoque regionibus, ac in ipsa sola Palaestina ad numerum 4000, degebant. Multi ex iis ad fidem christianam fuere conversi. Haec praecipua erant eorum dogmata: 1° Abhorrebant a voluptate, et vivebant coelibes, nisi quod classis quaedam singularis Essenorum matrimonia iniret. 2° Bona habebant communia. 3° Peculiari ratione pietati et austeritati erant addicti. 4° In qualibet urbe multi simul habitabant. 5° Non precibus tantum, sed et laboribus tempus terebant. 6° Deum dicebant auctorem omnis boni, non autem mali. 7° Animas statuebant immortales. 8° Sacrificia cruenta reprobabant, quare templum non frequentabant. Cfr. Anal. Bec. cap. 11. quaest. 10. Id erat discriminis Essenos inter et Θεραπευτας, quod illi essent Iudaei hebraei, hi vero Iudaei graeci; quod Esseni essent rigidiores, in Aegypto praesertim, in desertis morarentur, et contemplationi vacarent.


Hellenistae generatim vocantur Iudaei graeca lingua tamquam vernacula utentes; aliquoties tamen vox ea

latius patet. Προσήλυθοι, advenae, vocabantur, aetate Christi, ii omnes qui a gentilismo ad Iudaismum fuerant conversi. Erant ubique locorum valde frequentes, et quidem vel circumcisi, *Proselyti iustitiae*, vel incircumcisi, *Proselyti portae*. In N. T. εὐλαβεις, εὐσεβεις, σέβομενοι τὸν θεον, φοβοῦμενοι τὸν θεον, nuncupantur. Samaritani quorum mentio fit in N. T., erant coloni a Salmanasare, rege Assyriae, in regionem tribus Ephraim et Manasse missi, qui cum relictis Israelitis in unum populum coaluerant, et a metropoli Samaria dicti sunt Samaritani. Primum quidem Deos patrios colebant; sed postea a rege Assyriae petierunt, et obtinuerunt sacerdotem Israeliticum, qui ipsos cultum Iehovae docuit sic, ut Iehovam simul et idola colerent. Postea Sanballat, praefectus Samaritanorum, templum in monte Garizim aedificavit, quo tempore Samaritani idololatriam dereliquisse videntur. 1° Solo utebantur Pentateucho; Messiam tamen prophetam expectabant. 2° Locum adorationis nequaquam Ierusalem, sed montem Garizim esse contendebant.

§. 6. DE LOCIS SACRIS


Antiquissimo aevo, Deus sine discrimine locorum colebatur, praesertim in iis locis, in quibus fuerant Dei favorem experti. Primum altare erexit Noe. Gen. 8, 20. Abraham, Isaac et Iacob. plura in Canaan erexerunt; praecipue in iis locis, in quibus revelationes divinae obtigerunt. Moyses et auctor libri Iosue de templis silent. A Moyse ad Salomonem, locus publicus divini cultus erat *sacrum tabernaculum*. Mobile erat, poteratque convasari, quando movenda erant castra. Longum erat triginta cubitis, latum decem, altum etiam decem. Di-

visum erat in duas partes, quarum una dicebatur *sanctum*, habens longitudinem viginti cubitorum; altera *sanctum sanctorum* habens decem cubitos. Alterum ab altero separabatur velo. In *sanctum sanctorum* semel in anno, in festo expiationis, solus Pontifex ingrediebatur. In *sanctum* quotidie sacerdotes intrabant. Constructum erat e lignis Setim inauratis. In circuitu tabernaculi




TABERNACULUM

A *Sanctum.* B *Sanctum Sanctorum.*




TABERNACULUM



TABERNACULUM

erat atrium, superne patens, ita ut tabernaculum staret in medio atrii, eoque esset undequaque cinctum. Ab introitu atrii usque ad tabernaculum, erat longitudo et latitudo quinquaginta cubitorum, ut caperet populum; nam illic tantum populus orabat. In eodem atrio, versus tabernaculum, erat altare holocausti sub dio, et inter altare et tabernaculum erat labrum aeneum, ad la-


vandum manus pedesque, quum sacerdotibus functiones essent obeundae. Exod. 30. In *sancto* erat candelabrum aureum, cuius septem extremitates totidem portabant lampades aureas, quae noctu omnes, interdiu autem tres tantum ardebant. In *sancto* erat etiam *mensa panum propositionis,* in qua ponebantur duodecim panes azymi,



MENSA PANUM PROPOSITIONIS

thure conspersi, qui omni sabbato a sacerdotibus permutabantur, ad quos laici materiam ministrabant, quos Levitae pinsebant, sacerdotes vero soli manducabant. Inter mensam et candelabrum aureum, erat altare thymiamatis, in quo quotidie mane et vesperi incensum offerebatur. In *sancto sanctorum* erat Arca foederis, e lignis Setim inauratis facta, formae quadratae, longa duos cubitos cum dimidio, lata unum cum dimidio, atque etiam unum cum dimidio alta. In ea non erant nisi duae tabulae lapideae, quibus decem leges fundamentales religionis et reipublicae inscriptae erant. Penes

arcam asservabatur manna in vase aureo, baculus Aaronis, et autographum librorum Moysis. Super arcam, quae superne patebat, erat operculum aureum, quod dicebatur propitiatorium, sive oraculum, graece ἱλαστήριον. Super illud stabant duo Cherubim, quorum expansae alae formabant thronum regis Dei, ut arca esset eius scabellum. Praeter *altare thymiamatis* quod erat in *sancto*, aliud erat altare in atrio sacerdotum, sub dio positum, quod ad sacrificia Deo immolanda et cremanda, dicebatur *altare holocausti*. *Regio* in qua fixum erat ta-



ALTARE HOLOCAUSTI

bernaculum et arca servabatur, *sancta* habebatur. Arca primo fuit in tabernaculo, postea vero in templo. Quamdiu in tabernaculo fuit, saepe fuit translata de loco in locum: nam post ingressum e deserto in terram promissionis 1° posita fuit in Galgalis, 2° in Silo, 3° in Nobe, 4° in Gabaon, 5° in Ierusalem. Post arcae translationem in arcem Sion per Davidem et in templum per Salomonem, Ierusalem dicta fuit *urbs Dei*. Cfr. Anal. Bec. totum cap. XIII. Templum Salomonis, iuxta ultimam Davidis voluntatem, aedificatum erat in monte Moria, cuius ambitus muro cinctus et porticibus ornatus, dividebatur in *atrium magnum*, sive *exterius*, pro

populo, et in *atrium interius*, sive sacerdotum. An duo haec atria per murum vel cancellos fuerint separata, non liquet. In his atriis plura erant aedificia in quibus annona, utensilia, et vasa templi asservabantur, vel etiam sacerdotes et Levitae, tempore functionis suae, habitabant. Vasa et instrumenta ad altare pertinentia, multo maiori numero quam in tabernaculo, aderant. Praeter atrium exterius, in quo orabatur, et quod erat sub dio, erat etiam porticus Salomonis, qui erat sub tecto et in quo Iudaei ambulabant. Templum hoc multo maius erat tabernaculo, atque etiam in *sanctum* et in *sanctum sanctorum* erat divisum, quae velo a se invicem separabantur. *Sanctuarium* erat longum cubitos sexaginta, latum viginti et altum triginta, excepto *sanctissimo* cuius interior altitudo erat viginti cubitorum, ut superius maneret cubiculum decem cubitorum. Hoc templum, anno ex quo extructum fuerat, 470, ab Assyriis exustum fuit. Templum vero quod Zorobabel post captivitatem babylonicam, in veteribus, quantum licuit, fundamentis aedificavit, minus tamen erat templo Salomonis, ut e seniorum desiderio observare licet. Quod etiam templum edaci tempore, et praecipue Pompeii obsidione collapsum retenta pro posse prioris ichnographia, restauravit Herodes magnus, ut populi Iudaici sibi infensi gratiam conciliaret. Magnificum hoc opus incepit, decimo sexto ante Christum anno, octo vel novem annis perfecit, sed postea alia etiam aedificia addidit, atque de hac templi per intervalla aedificatione loquuntur Iudaei, Ioan. 2, 20., *quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc*. Tria habebat atria, primum pro sacerdotibus, secundum pro laicis, et tertium pro immundis et gentilibus.

Sacrificia quidem offerri non poterant nisi in taber-

naculo vel templo; omnia autem alia religionis exercitia nulli loco erant adstricta. Hinc in locis in quibus plures vivebant Iudaei, erant Synagogae ad formam templi Hierosolymitani dispositae, in quibus 1° docebant et praedicabant Moysen et prophetas, 2° orabant, 3° puniebant delinquentes. Iam tempore Regum et Iudicum, aliquot Synagogae extitisse videntur; prima autem omnium in Maspha fuisse videtur. Iud. 11, 11. Cfr. Anal. Bec. cap. XIII. Illud tantummodo discriminis fuisse videtur inter Synagogas et *Proseuchas*, quod hae non erant singularia aedificia cultui divino dicata. Act 16, 13. In iis locis apostoli Evangelium annuntiabant.

§. 7. DE TEMPORIBUS SACRIS

Hebraei, gens uni vero Deo peculiariter dicata, quotidie in publicae reverentiae indicium, mane et vespere offerebant, totius gentis nomine, agnum anniculum in holocaustum, addito ferto et libamine, quod sacrificium dicebatur holocaustum perpetuum. Exod. 29, 38. Prae caeteris tamen diebus sancta erat septima, dicta σαββατον, quod quidem iam ante latam de eo legem per Moysen, specialiter sanctificabatur; quum praeceptum illud iam existentem eam sanctificationis consuetudinem supponat. Sabbatum primario a Deo institutum fuit in memoriam creationis mundi, in cuius creatione etiam, septimo die, a novis rebus creandis cessavit, cui primario scopo alter subordinatus est, nempe ut homines per hanc quietem, corporis vires recuperent. Quemadmodum periodus septem dierum sabbato, ita etiam periodus septem annorum anno sabbatico erat concludenda, ut longiori quoque temporis spatio memoriae imprimeretur, Deum creatorem esse solum colendum. Ita agris

et vineis quies dabatur, et *requietio Domini* praecipiebatur. Lev. 25, 2. Sic quoque septem annos sabbaticos sequebatur annus Iubilaeus, nempe quinquagesimus. Eo anno 1.° debita remittebantur. 2.° Servi manumittebantur. 3.° Avitae possessiones venditae aut alienatae ad pristinos haeredes, sine ullo pretio redibant. Cfr. Anal. Bec. Cap. xvi. N.° 67-88. Vide supra §. 4, cap. 7. Hebraei etiam habebant festum *Neomeniae*, sive initii mensis lunaris, seu kalendarum, quia Novilunio, in his rebus terrestribus magis apparet divina gubernatio, quia tunc fit magna corporum mixtorum mutatio. Sacerdotes tubis sacris Neomenias annuntiabant, sacrificia peculiaria offerebantur, sed labores non interdicebantur, nisi in sola Neomenia mensis septimi, seu Tischri, i. e. Octobris; quia erat initium anni oeconomici et civilis. Ad recolenda maiora beneficia divina, maiora instituta erant festa *Paschatis*, *Pentecostes*, et *Tabernaculorum*. Festum Paschatis institutum fuit ad recolendam memoriam liberationis ex Aegypto et salutis primogenitorum Exod. 12. Celebrabatur per septem dies, qua tota hebdomade manducabantur azymi, unde festum azymorum vocatur. Die 14.ª mensis Nisan incipiebat festum Paschae; postridie celebrabatur festum azymorum, atque adeo 14.ª ad vesperam incipiebat, omneque exinde fermentum semovebatur. Modum celebrandi festa Paschatis, et azymorum vide Exod. 11, 1-29. Secunda die Paschatis offerebatur manipulus hordeaceus, et agnus anniculus, cum ferto et libamine in holocaustum; atque ita initiabatur Messis. Lev. 23.

A secundo die Paschatis numerandi erant dies 50, et quinquagesimus erat πεντηκοστή, quae a septem his hebdomadibus *festum hebdomadum* dicitur. Celebrabatur 1.° ad recordandam legislationem sinaiticam, 2.° in gra-

tiarum actionem pro messe; unde et Festum messis dicebatur. Exod. 23, 16.

Festum Tabernaculorum ἑορτή σκηνῶν, σκηνοπηγία, a die decima quinta mensis septimi (Tischri, i. e. octobris) cum octava celebrabatur, in memoriam illius mandati, quo Deus voluit Iudaeos in tabernaculis habitare, cum egressi ex Aegypto in solitudine versarentur. Quinta ante festum tabernaculorum dies erat dies propitiationis, quae erat feria, quaeque erat, per totum annum, unicum ieiunium, quo a vespera ad vesperam omnis cibus interdictus erat. Quod spectat ieiunia publica et privata, ordinaria et extraordinaria vide Anal. Bec. Cap. XVI. N.° 16. Praeterea duo alia erant festa a Deo instituta, nempe *Tubarum*, et *Coetus* sive *Collectae*. Prius institutum erat ut memoria sacrificii Isaac retineretur; ideoque eo festo soliti erant tubis corneis clangere: quia Abraham pro filio immolaverat haedum inventum *cornibus* inter vepres implicatum. Posterius erat ille dies, quo ea quae ad divini cultus expensas necessari erant, a populo colligebantur.

§. 8. DE PERSONIS SANCTIS

Posteri Abraham, Isaac et Iacob ad verae religionis conservationem electi, Deoque consecrati, *sancti* dicebantur, quantacumque non raro esset morum corruptio. Levitae substituti fuerunt primogenitis, qui olim nati erant sacerdotes, aetate autem Moysis cum Levitis fuerunt permutati, postea vero a ministerio altaris erant redimendi. Ex hac tribu Levi, Aaron et posteri eius, sacerdotio consecrati fuerunt; reliqui Levitae obibant inferiores functiones sacras, qui iterum pro negotiis vilioribus, habebant servos sanctuario addictos. Levitae solemniter a reliquis Israelitis separati, singulari ritu

ad ministeria sua *consecrabantur*. Peculiarem vestem non praescribebat lex; at musici, cantores et portantes arcam superindumento byssino, tempore Davidis et Moysis, utebantur. David 38,000 adultos levitas in quatuor classes divisit, atque 24,000 ministros sacerdotum, 4,000 vigiles seu ianitores, 4,000 musicos et 6,000 iudices et genealogos esse iussit. I. Paral 23, 3-5. 24-32. 24, 20-31. 26, 1-28. Musici iterum in 24 classes dividebantur. Omnes ordines et classes suis praefectis parebant. Posteri etiam filiorum Aaron, aetate Davidis, ita aucti erant, ut in 24 classes divisi fuerint, quae alternis vicibus, per hebdomadam, suo munere fungebantur, quarum quaelibet classis praefecto seu capiti familiae parebat, qui iterum praefecti suberant Pontifici seu summo Pontifici. Primus summus pontifex a Deo constitutus fuit Aaron. Moyses qui etiam fuit Pontifex et quidem ante Aaronem, erat tantum Pontifex extraordinarius et sine iure successionis; Aaron vero a Deo censecratus fuit Pontifex cum iure successionis ita, ut semper primogenitus patri succederet. Vestitum sacrum non gerebant Sacerdotes nisi officio fungentes. Hae erant eorum vestes: 1.° Femoralia byssina a renibus ad femora pertingentia. 2.° Tunica longa, manicis instructa, non consuta et unius texturae. 3.° Cingulum palma latum, quod bis corpus ambiebat, et cuius extremitates usque ad talos descendebat. 4.° Mitra alta, acuminata et capiti alligata. Summi Sacerdotis vestes erant duplicis generis, aliae simpliciores, nempe femoralia, tunica, cingulum et mitra; aliae multo magnificentiores, quibus super vestes sacerdotales induebatur, nempe 1.° *Meil* sive Tunica hyacinthina, in cuius fimbria inferiori pendebant tintinnabula aurea et mala punica. 2.° *Ephod* seu superhumerale, quod hu-

meros et anteriorem partem usque ad cingulum tegebat, et super tunicam hyacinthinam induebatur. Erat contextum ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, et bysso retorta. Exod. 28, 6. In utroque latere a dextris et sinistris duos habebat lapides onychinos, in quibus scripta erant nomina duodecim filiorum Israel.



PONTIFEX

3.° In anteriore parte Ephod, ad pectus Pontificis ligabatur rationale iudicii, graece λογεῖον, hebraice חֹשֶׁן choschen, i. e. pectorale. Conficiebatur ex eadem materia, e qua Ephod, cui ita erat quatuor annulis ada-

ptatum, ut intrinsecus instar marsupii esset duplicatum, extrinsecus vero duodecim gemmis exornatum, quibus etiam nomina tribuum erant insculpta. In hoc rationali erat posita *doctrina et veritas*, hebraice *Urim* et *Thummim*, e quibus summus Sacerdos responsa divina petebat. Exod. 28, 30. 4.° Cidares sive Tiara, eamdem cum mitris sacerdotum formam referens, sed paulo altior.

Quod spectat ad ministros synagogarum, in iis non erant doctores ordinarii, sed tantum interpretes. Praecipui quos noverimus, sunt: 1.° Ἀρχισυναγωγὸς, qui coetum regebat, lectores et oratores invitabat, nisi quipiam se sponte obtulissent, quos acceptaret. 2.° Πρεσβύτεροι, qui antistiti synagogae erant a consiliis. 3.° Collectores eleemosynarum. 4.° Ὑπηρέτης, i. e. minister synagogae, qui libros legendos praeparabat et recipiebat, atque alia huiusmodi officia praestabat. 5.° Legatus synagogae, qui ab exteris synagogis missus eleemosynas Ierosolymam deportabat.

§. 9. DE REBUS SACRIS

Sacrificium est illud quod immediate Deo offertur, et aliqua ratione destruitur, uti per ignem, vel per effusionem libaminum, aut per immutationem. Eiusmodi autem sacrificia sunt, iuxta documenta mosaica, generi humano coaeva. Gen. 4, 3-5. 8, 20. 12, 7. 13, 4. 15, 9-21. 22, 13. Lex mosaica solos ritus accuratius praescripsit. Cum victimarum cruentarum origo non satis commode ex inventione humana repeti queat, verisimillimum est, Deum protoparentibus lapsis, per mortem animalium non modo ostendisse, quid per peccatum meruerint, sed etiam innuisse, violentam animalium mortem in reatus et poenae memoriam, saepius

esse repetendam. Sacrificia e lege Mosaica, sunt alia *cruenta* seu victimae, alia *incruenta*. Cruenta erant alia *piacularia*, alia *eucharistica*. Piacularia erant vel *holocausta*, vel *sacrificia pro peccato*, vel *sacrificia pro delicto*. Ea sacrificia non nisi super altari in tabernaculo aut templo per sacerdotes offerenda erant. Deut. 5, 13-14., ne alibi idolis aut ritibus superstitiosis sacrificaretur. Prophetae, in quos nullus eiusmodi timor aut suspicio cadebat, in aliis quoque locis sacrificabant. Victimae offerri non poterant, nisi boves, caprae et oves, et interdum ex volucribus turtures et pulli columbarum. Hi erant sacrificiorum ritus: 1.° Victimam offerens sistebat animal in atrio ante altare. 2.° Manum capiti victimae imponebat. 3.° Victimae pro populo, a sacerdotibus et Levitis, aliae autem, olim quidem ab offerente, recentiori vero aevo a Levitis mactabantur. 4.° Sanguis a sacerdote in cratere excipiebatur, et ad pedem altaris effundebatur. 5.° Animal, pelle detracta, dissecabatur; sed recentiori aevo id praestabant Levitae et sacerdotes. Sacrificia pro peccato, et holocausta populi et summi Sacerdotis, integra, nec pelle detracta, extra castra vel urbem comburebantur, exemptis dumtaxat partibus in altari concremandis. 6.° Victimae ante vel post mactationem, Deo singularibus ritibus offerebantur. 7.° Interim sacerdos ligna in altare deferebat et accendebat; alii sacerdotes incensis lignis imponebant illa quae concremanda erant. 8.° Caro sacrificiorum eucharisticorum reliqua, erat a sacrificante in convivium convertenda, excepto dextero armo et pectore, quod utrumque sacerdotibus cedebat. Holocausta, e quibus sacrificiis omnia concremabantur, erant piacularia, omnium antiquissima, ideoque praecipua. Ab Ethnicis quoque per sacerdotes Hebraeos offerri pote-

rant. Non perspicuum nobis est discrimen, quod apud Hebraeos institutum erat inter *peccatum* et *delictum*; alii contendunt *peccatum* ab ipsis dici transgressionem legum negativarum admissam coram testibus, delictum vero transgressionem legum positivarum sine testibus commissam; alii contra putant Hebraeos vocasse *peccatum* transgressionem praeceptorum positivorum, *delictum* autem transgressionem praeceptorum negativorum; alii tandem autumant. *delicta* vocata fuisse omnia peccata dubia; caetera vero *peccata*. Posito hoc discrimine, alia sacrificia offerebantur pro *peccato*, alia pro *delicto*. De iis omnibus vid. Cap. IV. Lev.

Sacrificia incruenta partim ex frumento, partim ex vino offerebantur, erantque ordinarie additamenta victimarum. Excipiendi tamen sunt 1.° Duodecim panes propositionis in sancto; 2.° Manipulus hordei secunda die Paschatis; 3.° Primitiae panum festo Pentecostes; 4.° Farina a paupere in sacrificium pro delicto oblata.

Hucusque de sacrificiis actum est; iam de aliis rebus sacris pauca delibabimus; nempe de purificatione immundorum, de mundatione leprosorum, de primogenitis, de primitiis, de decimis, de sacro oleo, de iureiurando, de votis, de precibus, de Liturgia synagogarum, de lingua Liturgiae in synagogis, tandem de Liturgia apostolica. 1. Immunditiae non erant peccata, nisi illae, quae praecepto Dei interdictae erant, ut v. g. comedere carnes immundas, sanguinem etc. De his enim dicebatur: *ne tangatis*. Aliae autem immunditiae non erant a Deo interdictae, sed tantum indicatae, ut v. g. pati lepram; atque hae non erant peccata, sed tantum inducebant irregularitatem legalem. Pleraeque immunditiae, statuto quodam tempore cessabant: pro aliis autem ritus speciales erant propositi, atque ita ad pur-

gandas immunditias conficiebatur aqua lustralis ex aqua fontana, cui admiscebantur cineres vaccae rufae. Hac vero aqua omnes immunditiae tollebantur, ut colligitur ex Hebr. 9, 15; *si sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, etc.* 2. Leprosi sanati, extra castra vel urbem a sacerdote examinabantur, sanguine passeris ab ipso aspergebantur, et post varios alios ritus, octavo die societati hominum restituebantur. 3. Primogenita hominum et animalium Deo sacra erant. Filii primogeniti Deo sistendi et ex aestimatione sacerdotis, non tamen ultra 5 siclos, et non ante primum aetatis mensem, erant redimendi; plerumque autem redimebantur in purificatione puerperae. Num. 18, 14-16. Primogenita boum, caprarum et ovium in sacrificium offerenda erant, et, concrematis partibus cremandis, solis sacerdotibus relinquebantur. Primogenita aliorum animalium vel occidenda, vel agno permutanda, vel redimenda erant; si non erant redempta, vendebantur, et pretium erat sacerdotum. 4. Primitiae seu πρωτογεννήματα etiam ritu speciali offerri debebant. Soli sacerdotes et Pontifex primitias a filiis Israel accipiebant. Ter in anno solvebantur, nempe in Paschate, de novis spicis; in Pentecoste, de novis panibus; et, mense septembri, in festo tabernaculorum, de novis fructibus 5. Decimae antiquissimae sunt, et fere omnibus antiquis gentibus notae. Abraham eas dedit Melchisedechi, de praeda; Iacob eas vovit, quod et posteri eius observarunt. Duo hic omnino certa sunt, 1.° Levitas accepisse decimas fructuum pecorum, et iumentorum ab aliis tribubus. 2.° Levitas ex his decimis iterum dedisse decimas summo Sacerdoti, adeoque decimas decimarum. Num. 18, 21-26. Hae decimae dabantur tribui leviticae pro vitae

sustentatione. At duo alia erant decimarum genera, nempe 1.° eae quas singuli patres familias quotannis apud se servabant, et postea cum Levitis comedebant in loco ubi erat tabernaculum vel templum, idque in Paschate, in Pentecoste et in festo Tabernaculorum; 2.° eae quas tertio anno singuli in propriis domibus separabant et cum levitis, peregrinis, pupillis et viduis communicabant. Deut. 14, 28-29. 6. Duplex in lege mosaica oleum usitatum erat; alterum compositum ex oleo et aromatibus, dicebatur *oleum pontificale*, *oleum unctionis*, atque etiam *oleum sanctum;* hoc oleo ungebantur solus Pontifex in capite, sacerdotes vero in vestibus; alterum oleum erat simplex et purum, quod aliquoties etiam sanctum dicebatur latiori sensu. Eo oleo ungebantur reges et prophetae. 7. Qui effatum suum iuramento confirmabat, formulam elevata manu dextera pronunciabat. Iurabant Iudaei per nomen Dei, per seipsos, per vitam aliorum, per civitates et loca sacra. Aetate Christi omnia iuramenta, quae non exprimebant nomen Dei, nullius momenti esse statuebant, atque in has formulas fallaces Christus tantummodo invehitur, Matth. 5, 33-37., et nequaquam omne iuramentum damnat. Cfr. Anal. Bec. Cap. XVI n.° 57-67. 8. Votum est spontanea promissio Deo facta rem aliquam bonam faciendi vel a re aliqua grata et licita abstinendi. Lex mosaica vota ad exercitium religionis retinuit. Deut. 23, 23-24. Tamen locum redemptioni concessit, et ius patrifamilias et marito contulit vota filiarum et uxorum irritandi. Vota non agnoscit nisi quae verbis prolata. Erant vel *affirmativa,* quibus res vel animal vel persona Deo devovebatur; vel *negativa*, per quae promittebatur abstinentia a quibusdam rebus licitis, qualia erant vota Nazaraeorum, atque etiam Rechabitarum, si tamen hi

voto quod observabant consecrarint. Nazaraei (sive viri sive feminae) voto se Deo consecrabant, et a communi aliorum consuetudine sese separabant. Alii autem erant temporarii, alii vero perpetui. Abstinebant 1.° ab omni quod inebriare posset. 2.° Alebant comam. 3.° Funera non frequentabant, neque umquam super mortuo contaminabantur. 4.° Temporarii in fine voti victimas ad ostium tabernaculi offerebant. Hi Iudaeorum religiosi apud eos erant in magno honore, eorumque institutum duravit ab initio legis mosaicae ad tempora apostolorum.

Rechabitae dicti sunt a Rechab qui fuit pater Ionadab. Hic Ionadab filiis et posteris suis haec tria praecepit. 1.° Ut non biberent vinum. 2.° Ut non aedificarent domos, sed in tabernaculis habitarent. 3.° Ut non sererent sementem nec plantarent vineas. Quod Rechabitarum institutum, etsi humanum, magnopere tamen Deo placuit, atque peculiarium benedictionum causa pro ipsis fuit. Cfr. Anal. Bec. Cap. x. N.° 8-13. 9. Prima generis humani aetate, preces non erant nisi animi motus simplicissimi; verbis demum exprimebantur, atque supplicationes addebantur. Lex mosaica preces affectui cuiuslibet permisit, nec quidquam disposuit, nisi benedictionem illam a sacerdote pronuntiandam. Num. 6, 24-25. Singularibus occasionibus hymni et psalmi cantabantur in templo; preces autem privatas plerumque alta voce prolatas fuisse, colligitur ex 1. Reg. 1, 12-15. Luc. 18, 10-14. Orabant stantes; interdum tamen etiam genua flectebant, aut in terram se prosternebant, aut manus in coelum levabant, aut pectus percutiebant; prae caeteris curabant ut faciem versus Ierusalem verterent: 10. Publicus Dei cultus in synagogis memoratur in N. T. dumtaxat in sabbato;

festis tamen diebus procul dubio etiam in synagogas conveniebant ii, qui Ierosolymam proficisci non poterant. Hic fere erat cultus publici ordo: 1.° Salutatio. 2.° Doxologia. 3.° Lectio partis legis mosaicae. 4.° Alia doxologia et post eam praelectio partis cuiusdam desumptae ex aliquo propheta. Praelecta hebraica interpres exponebat vernacule, et lector vel alius instruebat populum. Liturgia finiebatur collectione pro pauperibus. 11. Quum synagogae erectae fuerint, ut populus religionem edoceretur, et ad morum integritatem excitaretur, liquet usum linguae vulgaris fuisse necessarium, et praelectiones hebraicas in lingua vulgari fuisse expositas. Atque ita in synagogis Hellenistarum versio Alexandrina legebatur, ut testatur Tertullianus. Apol. 18. Doxologiae et preces in lingua vulgari pronuntiabantur. 12. Pro Liturgia apostolica observandum, apostolos primas ecclesias in synagogis condidisse, earumque actionem esse secutos, nisi quod fractio panis, i. e. sacrosancta eucharistia accederet. Demum a Iudaeis e synagogis exclusi, vesperi conveniebant in cubiculum alicuius christiani, lampadibus collustratum, ubi eadem fere quae superius dicta sunt, perficiebantur ita, ut dictis precibus apostolus SS. Eucharistiam consecraret et praesentibus distribueret. In iis conventibus instituebantur nota illa convivia charitatis, dicta communiter *agapae* Semper ii conventus collectione pro pauperibus, praesertim Hierosolymitanis, terminabantur. Hi coetus liturgici ab apostolis cogebantur prima hebdomadis die.

§. 10. DE IDOLOLATRIA INTER HEBRAEOS

Quum in Scriptura sacra tam saepe de idololatria agatur, eam rem hic leviter delibandam duximus, et

primum quidem quod teterrimi huius erroris originem spectat, alii aliter eam explicare conati sunt. Nullibi tamen melius quam in ipsis litteris divinis, nempe in Lib. Sap. cap. 14, hanc originem expositam deprehendes. Eamdem viam ingressi sunt ss. Patres, foedum hunc cultum idolorum, corruptioni cordis humani, superbiae, pravisque hominis cupiditatibus tribuendo. Cfr. Démonstration de la foi par Bouvet, pag. 31. His numinibus 1.° extruebantur *arae*, Deut. 7, 5. 2.° Iis altaribus addebantur Deorum effigies, quibus omnibus singulares vires divinae inesse credebantur. 3.° Haec idola continebantur parvis templis, sed amplissimo atrio subdivali circumdatis, in quibus erat altare, et quo populus conveniebat. 4.° Quum numina prius sub dio colerentur, ideoque ad hunc cultum umbrae arborum et loca nemorosa seligerentur, etiam posthac luci circa templa plantabantur. 5.° His templis deserviebant sacerdotes, feminae aeque ac viri.

Horum numinum cultus nequaquam eo tendebat, ut animus ad morum integritatem et vitae innocentiam excitaretur, sed ut bona externa, etiam oracula obtinerentur; atque cum ipsi dii flagitiosi existimarentur, nefanda maxime crimina in cultum deorum vertebantur. Cultus huius partes praecipuae erant. I. Victimae, molae salsae, libamina, mel et thus. II. Preces, inter quas idolorum manus et pedes osculari solebant. III. Festa quae sacrificiis, conviviis, ludis, etc. celebrabantur. IV. Lustrationes per aquam et sanguinem. V. Res nefandae, ut fornicationes, etc.

Divinationum et praestigiarum, inter idololatras, varia erant genera. Impostores qui prae caeteris magno in honore habebantur, erant 1.° ἱερογραμματεῖς, scripturae hieroglyphicae periti, et somniorum interpretes, quales

erant arioli et praestigiatores Aegyptiorum et Pharaonis. Gen. 41, 8. Exod. 7, 11. 2.° Necromantae, qui impostores mentiebantur animas incantationibus a morte excitari, quas ipsi evocare et per eas scientiam futurorum, quae soli Deo competit, sese acquirere contendebant; re autem vera ipsimet nomine defunctorum loquebantur. His necromantis lex mosaica supplicium lapidationis decrevit. Lev. 20, 27. 3.° Astrologi qui praesagia in coelo quaerebant. 4.° Ii qui omina e serpentibus capiebant. Hisce superstitionibus celebres prae caeteris fuere Romani. Iam quod attinet ad effigies et simulacra, quae in Bibliis occurrunt, ea duplicis sunt generis, alia Iehovae, alia deorum, quae praesertim in Historia regni Israel, 2. Reg. 10, 29. 13, 20. 14, 24., sedulo distinguuntur; utraque tamen Hebraeis interdicta; quia etiam simulacris Iehovae vis quaepiam et efficacia inesse credebatur. Exod. 32, 4. Deut. 13, 2-3. 4, 12-20. Simulacra Iehovae erant 1.° Vitulus. Exod. 32, 4-5. 2.° Ephod Gedeonis, quod iste idolorum eversor, non, ut esset idolum, confecerat, at destinaverat divino cultui, si forte aliquando tabernaculum divino iussu transferretur in Ephra, sed quo ad idololatriam abusus est Israel, post Gedeonis mortem. Iud. 8, 27. 3.° Simulacrum Michae in monte Ephraim. Iud. 17, 3-13.

Praecipui dii quorum fit mentio in Scriptura s. sunt. 1.° *Exercitus coeli*, i. e. Astra, quibus Hebraei, contra Dei mandatum, saepe aras erexerunt. 2.° *Baal*, quod nomen genericum *Dominum* significans, tribuitur omnibus divinitatibus populorum, qui utebantur lingua hebraica, phoenicea, chaldaica et syriaca. Apud Israelitas ita vocabatur prima et omnium celeberrima falsarum divinitatum, quae inter eos colebatur. 3.° *Bel*, quod no-

men contractum eamdem videtur habere significationem quam Baal, colebatur a Babyloniis tamquam Deus vivens, cibo et potu utens. Hic Deus praecipue notus est nomine Beli. Dan. 14, 2. 4.° 'Αστάρτη tamquam Dea Phaeniciorum atque etiam Philistinorum in Bibliis exhibetur. Aliquoties etiam nuncupatur regina coeli, et luna fuisse creditur. Saepissime invenitur iuncta numini Baal. Cultus eius obscoenitatibus nefandis erat turpissimus. 5.° Thammuz, sive Adonis de quo agitur apud Ezech. cap. 8, 14. 6.° *Moloch*, quod nomen *regem* significans, erat idolum Ammonitarum, idem videtur fuisse qui Saturnus; quum ipsi etiam homines vivi offerrentur. Lev. 18, 21. 20, 2-5. Immane hoc numen repraesentabat statua hominis aenea, cum capite bovis et manibus extensis. Ea statua intus vacua ita erat confecta, ut proles eius manibus imposita in voraginem igne ardente plenam, inter tympanorum sonitum, ne vagitus audiretur, decideret. Hoc idolum ultimis regni Iudae temporibus positum erat in valle filiorum Hinnon, prope Ierusalem. Inde *gehenna* quam Iudaei postea abominati sunt, per metonymiam vocata fuit *infernus* sive *locus cruciatuum*. 7.° *Rempha* quem deum Amos dicit et stellam et regem. Amos. 5, 26. Act. 7, 43. Alii putant hanc stellam esse Saturnum, alii Luciferum seu stellam Veneris. 8.° *Teraphim*, quae simulacra cum forma humana sculpta, dii penates erant. 9.° *Dagon*, quod erat simulacrum sculptum forma muliebri, inferne in piscem desinens, ut in nummis antiquis cernitur. 1. Reg. 5, 4-5. Numen erat Philistaeorum, et templa ei erant Gazae, Azoti et Ascalone. Alia numina in Bibliis obvia, vel aliunde sunt nota, vel prorsus ignota.

CONSPECTUS OPERIS

CAPUT PRIMUM

§. I. 1.° An diversis modis Deus suam creaturam alloquitur? I. 2.° Quodnam Dei verbum hic eminet? I. 3.° An illud verbum Dei necessarium est ad salutem? I. 4.° Quaenam sunt praecipua verbi divini «scripti» nomina? 9. 5.° Quare Scriptura s. vocatur «sancta?» 9-10. 6.° Quare «Biblia? 10. 7.° Quare «Testamentum?» 11. *Quia est opus «Testans» sacrum Dei cum hominibus commercium et foedus, et quia sanguine dedicatum est, Vetus in typo, Novum in veritate.* 8.° Quo sensu dicitur «Pandecta?» 11. 9.° Ostende itaque, admittendum etiam esse verbum Dei «traditum.» 11. *Cfr. Glaire, tom. 1. p. 1. et seqq.*

§. II. 1.° Quid requiritur ad Scripturae s. essentiam? 11. 2.° Quid tamen ad eius essentiam sufficere videtur? Id ostende. 12. 3.° Etsi igitur inspiratio proprie dicta quoad singula verba non sit necessaria, quomodo tamen «omnis scriptura» primis scriptoribus «divinitus inspirata» videtur? 12. 4.° Quid est inspiratio et quid interest revelationem inter et inspirationem? *Inspiratio est singularis Dei actio, quae importat tum voluntatis motionem ad scribendum, tum mentis illustrationem, qua Deus errores praecavet, eaque suggerit, quae vult ut scribantur. Hoc discriminis est revelationem inter et inspirationem, quod, licet revelatio materiae scribendae saepe cum inspiratione coniuncta sit, in omnibus tamen sacrarum Litterarum partibus locum non habet: plura enim scriptores inspirati litteris mandarunt, quae vel ipsi viderunt, aut gesserunt, aut a testibus fide dignissimis acceperunt, quo in casu inspiratione, non vero revelatione gaudebant. Cfr. «Liebermann,» tom. 2. p. 283., et «Ackermann, introd.» p. 26.* 5.° Quinam hostes reiiciunt Scripturam s.? 13. 6.° Qua in re hic conveniunt et differunt catholici et haeretici? 13. *Differunt in discernendis libris divinis a non divinis, atque hic haeretici vehementer errant.* 7.° Ostende, in probanda vera Scriptura s. non confugiendum esse ad ipsam Scripturam, dicentem se verbum Dei. 13. 8.° An saltem Spiritus S. eius divinitatem in cordibus nostris non testatur? An recte agunt ii haeretici, qui «in hoc puncto» recurrunt ad traditionem? 13-14. 9.° Quomodo catholicus veram Scripturam sacram certo discernit? 14. 10.° Ostende, nullum hic dari circulum vitiosum. 7. Cfr. Bouvet, p. 321-322, et Perrone, Tom. 1. p. 216. *Ecclesia christiana iam erat constituta, iam habebat suam missionem divinam, suum regimen, suam infallibilitatem et auctoritatem; Petrus iam erat instructus iure primatus, ac caeteri apostoli ipsi subiiciebantur, antequam Evangelia edita essent; cum autem eadem semper et viva sit ecclesia, sibi ipsi sufficit. Quod*

vero spectat ad scripturas Vet. Testamenti, de ipsarum divinitate certior facta est ab ipso Christo. Cfr. Glaire, tom. 1. p. 1-63.

§. III. 1.° Qui libri dicuntur Canonici? 15. 2.° Quid est canon? 15. 3.° An plures canones extitere? 15. *Praecipui canones sunt «Iudaicus» seu Hebraeorum, et «Christianus.» Cfr. Anal. Bec. cap. 1. Q. 1.* 4.° Quomodo canon Hebraeorum omnes Scripturae s. libros dividit? 15. 5.° Quinam libri in isto Canone omittuntur? 15-16. 6.° An iure ii libri ideo reiiciuntur tamquam non divini, quod in canone Esdrae non reperiuntur? 16. 7.° Cur recte Ecclesia eos admittit, et quid hanc in rem ait ipse Lutherus? 16. 8.° Quid vocas libros «protocanonicos,» quid «deuterocanonicos?» Eos enumera. 16. *Cfr. Bouvet. 129-131., et Glaire, Tom. 1. p. 65-125.* Enumera omnes libros in canonem Ecclesiae catholicae relatos, 17.

§. IV. 1.° Quid vocas libros «apocryphos?» 17. 2.° Quid inde sequitur? 17. 3.° Nomina aliquot scripta vel apocrypha, vel de quibus saltem dubitatur, an sint. 18-19. *Cfr. Glaire, tom. 1. p. 138-140.*

§. V. 1.° Ostende non omnia dicta in Scriptura s. relata, esse verbum Dei. 20. 2.° An omnia impiorum dicta e Scriptura s. sunt excludenda? 20. 3.° An omnia piorum dicta tamquam verbum Dei sunt admittenda? 20. 4.° Quaenam igitur hominum dicta in Scriptura s. relata, admittenda sunt tamquam verbum Dei? 21. 5.° Cur? 22. 6.° Quotupliciter omni dicta quae in Litteris divinis referuntur, considerari possunt? 22. 7.° Quid ex ea distinctione consequitur? 22. 8.° Quid hanc in rem dicit S. Augustinus? 23.

§. VI. 1.° Quis est auctor Scripturae s. principalis? 23. 2.° Quomodo illud responsum intelligendum est? 23. 3.° Quinam in hac re vocantur *ἁγιογράφοι*? 23. 4.° An ii ipsi omnia per seipsos scripserunt? Paucis id expone, 23. 5.° Nomina singulorum librorum Veteris et Novi Testamenti scriptores. 24-26. 6.° Quo sensu ἁγιογράφοι in scribendo liberi fuerunt? 26. *Cfr. pag. 4-5. huius libri, et Bouvet 3. part. chap. 1.*

§. VII. 1.° Quaenam fuit prima omnium lingua, et cur ita vocatur? 27. 2.° Qua lingua libri Veteris Testamenti scripti fuerunt? 27 3.° Quid vocas Chaldaeum? Quid linguam Arabicam? 28. 4.° Quibus characteribus usi sunt prisci Hebraei? Quid, ea in re, S. Hieronymus dicit de Esdra? 28. 5.° Quomodo haec eius opinio stabilitur contra Baronium, aliosque recentiores? 28. 6.° Quid vocas «scripta autographa,» quid «apographa?» 28. 7.° Quid si Hagiographorum autographa adhuc extarent? 28. *Authentiam haberent immediatam; mediatam tantum habent apographa, i. e., in quantum cum autographis conveniunt. Authenticum iurisperitis est, quod testimonio sufficienti munitum publicam fidem ita habet, ut nec in dubium vocari possit. Eodem sensu nos «Vulgatam,» v. g., vocamus authenticam.* 8.° Quibus argumentis ostendit auctor, malitiosam textus hebraici corruptionem non tam incredibilem esse, quam quidem id quibusdam videri posset? 29. 9.° Quomodo ab hac eius opinione recedendum videtur? *Ita nobis ab ea opinione recedendum videtur, ut textum*

hebraeum numquam malitiose fuisse corruptum, adeoque, eum textum generatim purum esse, contendamus: quod S. Hieronymus verbis ex Origene depromptis sic ostendit: « Quod si aliquis dixerit, hebraeos libros a Iudaeis esse falsatos, audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Isaiae huic respondeat quaestiunculae, quod numquam Dominus et Apostoli, qui caetera crimina arguunt in scribis et pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. » Addit Hieronymus: « Sin autem dixerint, post adventum Domini salvatoris et praedicationem apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et Evangelistae et apostoli ita testimonia protulerint, ut Iudaei postea falsaturi erant. » Eodem argumento fateri cogimur, tām hodie quam S. Hieronymi tempore, codices hebraeos a Iudaeis non esse malevole corruptos: quomodo enim fieri potuit, ut S. Hier. eos ita traduxerit, ut postea a Iudaeis erant adulterandi? Eius translatio tales eos exhibet, quales nunc habemus, et si qua parte ab eis recedit, discrimen illud vel solum apparens est, vel aliunde quam ab eorum depravatione, est repetendum. Cfr. « Bouvet » p. 168.; « Smits, » Isagoge, p. 15., et tandem « Glaire, » tom. 1. p. 173., qui has duas propositiones demonstrat: « 1.° Le texte hébreu de l'Ancien Testament n'a point été corrompu dans les choses essentielles. 2.° Le texte hébreu de l'Ancien Testament n'est pas exempt des fautes des copistes. » 10.° Proba textum hebraeum mendis hinc inde esse infectum. *Id 1.° Probatur ex auctoritate; ita enim censet s. Hieronymus in innumeris operum suorum locis, cui adhaerent omnes cum doctissimi catholici, tum etiam ex haereticis celeberrimi. Idem etiam variis ostenditur rationibus, et primum quidem ex eo, quod ipsi Rabbini plurima corrupta loca animadverterint et ad librorum marginem, ne lectores non satis attendentes laterent, adnotaverint; deinde clare id etiam ostendit magna lectionum inter Iudaeos orientales et occidentales diversitas, et tandem spectata communi hominum conditione, sine miraculo fieri non potest, ut ne ulla umquam tam multis in codicibus menda reperiantur; quod miraculum neque scitur fuisse patratum, neque ullo modo necessarium est.* 11.° Unde praecipue fieri potest, ut non pauca menda in textum hebraicum irrepserint? 30-32. *Quum hic agatur de punctis vocalibus, atque adeo de uno e praecipuis inventis, quod inter alia etiam masorethis tribuitur, consultum ducimus, hic paulo latius de «masora» agere. Ea vox, quae « traditionem » significat, eorum iudaeorum laborem seu opus notat, quod versus annum Christi quingentesimum, susceperunt et sequentibus saeculis continuarunt, de annotandis litteris maiusculis et minusculis, inversis et suspensis, de numero litterarum, verborum et versuum cuiusque libri, de media cuiusque libri littera, voce et versu, ut ita impedirent, ne textus ullas pati posset mutationes. Quae omnia in unum volumen congesta, tandem ad codicum marginem litteris minusculis adscripta fuerunt; illa vero, quae margo non capiebat, in finem cuiusque libri coniecta sunt. Quum vero librarii neque integram masoram memo-*

ria tenere, neque etiam, deficiente ordine, evolvere eam possent, fideliter scripserunt, quae in codicibus inveniebant, atque non nisi quae ex masora memoria tenebant, in codices intulerunt; unde liquet, masoram integritati textus plus nocuisse, quam profuisse, neque propositum suum assecutam esse. Cfr. Ackermann, §. 106. Smits, isag. pag. 43., et Dict. Theol. Bergier, art. Masore. Quod autem «puncta vocalia» attinet, ea non a Moyse aut Esdra, sed recenter inventa, et post S. Hieronymi et confecti Talmudis tempora, s. Textui fuisse adscripta, sequentibus demonstratur argumentis: 1.° constat, punctis vocalibus non fuisse usos Aquilam, Symmachum, Theodotionem, et Hieronymum, qui eorum saltem, si extitissent, mentionem fecissent. 2.° In toto Talmude ea puncta non memorantur, ad quae tamen commemoranda sexcentis in locis occasio sese dedit. 3.° Textus samaritanus etiamnum punctis vocalibus caret, uti etiam liber, quo Iudaei in synagogis utuntur, quod sane, si ea a Moyse vel Esdra profecta esse crederent, numquam essent passi. 4.° Tandem punctorum vocalium nomina, quae plerumque chaldaica vel syriaca sunt, ipsorum novitatem arguunt. Verisimiliter autem initio saeculi sexti, post Christum natum, ea puncta, i. e. novae vocales, a Iudaeis Tiberiensibus, omnium, suae gentis opinione, doctissimis excogitata fuere, quibus inter legendum suppleri antea solitae iam exprimerentur, et genuinus veterum sonus in qualibet voce definiretur. At vero quaenam iis vocalibus masorethicis adhibenda est fides? Quantumvis perfidi sint Iudaei, nimis temere auctor noster asserere videtur pag. 28, eos sonos vocales ab ipsis «secundum pravam ipsorum fidem et parvam scientiam» S. Textui additos fuisse. Quod enim eorum spectat scientiam, nemo sane negaverit, viros illos Tiberienses, omnium, ut iam diximus, doctissimos, potuisse «legere» sacrum Textum, adeoque etiam «vocalibus» instruere, seu, quod idem est, «vocales» quas subintelligebant, et sine quibus Scriptura corpus fuisset sine vita, litteris consonantibus addere, quod et eos secundum linguae exigentiam germanamque traditionem, non vero secundum «pravam fidem» esse executos, probat omnium tum Christianorum antiquorum, cum Iudaeorum consensus, ac unanimis per totum orbem illius punctationis receptio. Quum igitur Masorethae in tam diuturna sint possessione, eorum punctatio, nisi de aperto errore constet, sine temeritate reiici non potest. Iuverit hic addere, Nicolao de Lyra tantam visam esse Hieronymi cum Masorethis convenientiam, ut sancti huius doctoris versionem « post excogitatam a Iudaeis punctationem factam esse, » crediderit. Hinc etiam Sixtus Senensis his, qui iudaeos hodierna punctatione Codices depravasse putant, assentiri non potest, eo quod « D. Hieronymi translatio in praecipuis locis divinae Scripturae, » quibus fundamenta fidei christianae ac veritas nostrorum dogmatum » potissimum comprobantur, et de quibus praesertim inter iudaeos et » nos controversia est, semper fere cum hac punctaria Hebraeorum ex- » positione consentiat; tametsi in rebus levissimi momenti, et quae plu- » ribus sensibus, absque ullo veritatis praeiudicio, exponi possunt, saepe

» *dissentiat.* » *Itaque aliter de his punctis vocalibus, aliter vero de caeteris Masoretharum laboribus iudicandum putamus* (1). *Cfr. Isag. Smits, et gramm. hebr. Guarin. Ea tamquam utilissima admittimus, quum ante eorum inventionem, Iudaei ipsi saepe « matres lectionis » usurpare coacti fuisse, easque consonantibus, ubi dubia pronuntiatio dubium sensum relinquebat, adiecisse videantur. Non ea tamen eis punctis fides adhibenda est, ut antiquiores versiones non punctatae continua hebraizantium manu non sint volvendae. Cfr. Glaire, tom. 1. p. 144-178.*

§. VIII. 1.° Quinam Scripturae s. Libri graece fuerunt conscripti? 2.° An textus graeci autographa adhuc extant? 3.° Ostende, testimoniis et exemplis, transsumpta seu apographa graeca, quamvis in essentialibus sane non sint corrupta, mendis tamen non carere, 32-33.

§. IX. 1.° Cur non est corrigendum vel immutandum, quidquid in Vulgata a textu hebraeo vel graeco dissentit? 34. 2.° Ostende Historia Conc. Trid. Textum hebraeum veteris, et graecum Novi Test., esse magnae auctoritatis et maximae utilitatis. 34. 3.° Ad quid ergo ii textus utiles sunt? 34-38.

§. X. 1.° Quisnam Veteris Test. Textum hebr. in linguam graecam convertendum curavit? 38. 2. Quomodo, ubi, a quibus, et quando ea versio confecta fuit? 39. 3.° Num ante eam, alia extitit versio graeca? 39. 4.° Unde praecipue novimus, quae de confecta Versione LXX traduntur? 39. *Sic vulgo ea historia refertur; at vero ii, qui, an haec « Aristeae ad Philocratem fratrem epistola» authentica sit, dubitant, propterea quod multa illic fabulam redolere videntur, nequaquam ideo versionis LXX auctoritatem imminuunt; quum omnibus in promptu sit, versiones non ex interpretibus, sed ex Ecclesiae admissione et approbatione, suam accipere auctoritatem. Aristobulus, Philo, Iosephus, S. Iustinus et Eusebius, rem eodem fere modo, quo Aristeas, enarrant. Cfr. Isag. ad Text. Graec., et Glaire, tom. 1. p. 194.* 5.° An ii viri totum Vetus Test. graece converterunt? 39. 6.° Quid censes de huius Versionis auctoritate? 39. 7.° Quid S. Aug. de illa versione testatur? 39. 8.° Si, ut ait S. Aug., ex hac versione LXX confecta est ea versio latina, quae, initio Ecclesiae, dicebatur Vulgata, seu itala, an postea aliam non assumpsit Ecclesia? Quare? 40. 9.° An ergo quidquid in LXX ab Hebraeo ac Vulgata diversum videtur, ita etiam censendum est? cur non? 40. *Quatuor principes hodie prostant editiones LXX impressae : « Complutensis, Veneta, Romana et Anglicana. » 1. Complutensis prodiit, Cardinalis Ximenii auspiciis, in Polyglottis complutensibus, a.° 1515., et in Bibliis Plantinianis regiis, et Parisiensibus Polyglottis repetita est. 2. Veneta, seu Aldina, e typis Aldi Manutii, Venetiis,* a.° 1518, *prodiit.* 3. *Romana seu vaticana, omnibus aliis editionibus praestantior, auspiciis Sixti V., studio autem et cura Antonii Carafae, Cardinalis, a.° 1587, nitidissimis typis prodiit Romae.*

(1) Observationes circa puncta et accentus recentius corpori masorethico fuerunt adiectae. Isag. p. 55.

Haec editio in Polyglotta Walton est recepta. 4. Anglicana studio Ernesti Grabii, Oxonii, a.° 1707, typis exscripta est. Cfr. Isag. 37-38. et Glaire, tom. 1. p. 193-218.

§. XI. 1.° An initio ecclesiae una tantum existebat Versio latina Scripturae sacrae? 40. 2.° Quaenam ex iis prae caeteris erat in usu? Quare? Quomodo nominabatur? 41. 3.° An eae interpretationes confectae erant e textu originali? 41. *Cfr. Glaire, tom. 1. p. 218.*

§. XII. 1.° Quid mali e versionum latinarum multiplicitate, initio ecclesiae, exortum erat? 41. 2.° Quis, quo suadente, et quomodo, huic rei remedium afferre conatus est? 41. 3.° Postquam S. Hieronymus antiquam italam Veteris Testamenti, quae ante nostram vulgatam caeteris versionibus latinis « praeferebatur, » cum textu graeco LXX contulisset, eamque emaculasset et correxisset, quos alios labores, et propter quas rationes, idem ille Sanctus suscepit? 42. 4.° Quid itaque fecit circa Vetus, quid circa Novum Testamentum? 43. *Cfr. Glaire, tom. 1. p. 223-271.*

§. XIII. 1°. Quam sortem initio habuit Vulgata moderna, seu versio S. Hieronymi? Quare? 43. 2.° Quomodo ea versio paulatim coepit pluris aestimari, et quid inde factum est? 44. 3.° Quando, et cur coepit ubique n tota ecclesia latina usurpari? 44. 4.° An Vulgatae modernae nihil omnino de versione LXX admixtum reperitur? 44-45.

§. XIV. 1.° Quid, tempore S. Aug., de hoc Hieronymi labore censebant ipsi Iudaei? 45. 2.° Dic paucis, quae Vulgatae authenticitatem praecipue probent. 45-46. 3.° Quid significat: « Declarare authenticam editionem Vulgatam ? » 46.

§. XV. 1.° Explica, quomodo in Vulgata aliquid essentiale, aliquid etiam accidentale considerari possit. 47. 2.° Quid censes de perfectione et mendis nostrae Vulgatae? 47-48. 3.° Affer aliquot exempla quibus res fiat clarior. 47-48. 4.° An post correctionem a Sixto V, et Clemente VIII factam, etiamnum in Vulgata aliquot loca videntur mendosa? Proba responsum, 48-50. 5.° An ea menda nihil probant contra Vulgatam? 50.

§. XVI. 1.° An omnia quae in Vulgata continentur, sunt Scriptura sacra? Eam rem, allatis exemplis, latius expone. 51-52. 2.° Quid censes de titulis librorum sacrorum? 52. 3.° Quid de capitum, versuumque numero? item quid de interpunctionibus? 52-53. 4.° Quales ergo erant ii versus, quorum fit mentio apud SS. Patres? 53. 5.° An textus originalis cum aliqua interpunctione fuit conscriptus? 53. 6.° Quid inde consequitur pro disponendis interpunctionibus? Affer aliquod exemplum. 53-54

§. XVII. 1.° An datur vox quaedam aut sententia, quae etsi in Vulgata non reperiatur, tamen sit Scriptura s.? 54. 2. Quomodo id fieri potuit? 54 55. 3.° Ostende exemplis, errore in litteris hebraicis, translationem LXX aliquoties a Vulgata differre. 56. 4.° Utra tunc lectio, et quare, divina est? 57.

§. XVIII. 1.° Quot, praeter versionem LXX, aliae praecipuae extant versiones graecae, et quomodo eae versiones inter se differunt? 57. 2.° Quamnam fidem hae tres versiones merentur? 57. *Aquila e Christiano, fa-*

ctus Iudaeus, versionem suam in lucem edidit, a.° Christi 130. Theodotio pariter e christiano factus Iudaeus, a.° circiter 180 aerae christianae, versionem suam confecit. Magnam ea habet cum LXX consensionem. Symmachus christianam religionem amplexus, ad Ebionitarum sectam transiit. Scripsit circa annum 200. Hae versiones in odium versionis LXX, ab apostatis et iudaizantibus compositae, etsi veteres iis sint usi, numquam tamen ab ecclesia publice receptae et approbatae fuerunt. 3.° Quid vocas « Tetrapla, Hexapla, Octapla? » 57. 4.° Quid vocas « Targum » bibliorum? 58. 5.° Quam nobis utilitatem Targum afferre potest? item an, ante S. Hieronymum, ea versio facta est? 58. 6.° An alicuius ponderis est Pentateuchus Samaritanus? 58. *Pentateuchus Samaritanus, quem propriis characteribus conservarunt Samaritani, ex eo est tempore, quo decem tribus a regno Iudae sese separarunt.* 7.° Affer alias quasdam, praeter Vulgatam, Versiones latinas ex hebraeo factas. 58. 8.° Item alias e graeca LXX factas. 58. 9.° Quid censes de versionibus ab haereticis in varias linguas confectis? 58. 10.° Affer exemplum aliquod temeritatis haereticorum, in vertenda Scriptura sacra. 58. 11.° An ergo iis versionibus uti licet? 59. 12.° Quaenam mendacia haeretici, de Scripturae sacrae versionibus vernaculis, contra Ecclesiam catholicam continuo divulgant? 59. 13.° Ostende regula quarta Indicis librorum prohibitorum, quomodo Scripturae sacrae lectionem lingua vulgari factam Ecclesia saluberrime modificaverit. 59. 14.° Quare Ecclesia hanc quartam indicis regulam tradidit? 59. 15.° Ostende, iam tempore S. Aug., e lectione Scripturae s. lingua vulgari (quae tunc in occidente latina erat) facta, idem detrimentum extitisse? 59. *Non ideo est, quod fateamur, lectionem factam latine quam vernacule, esse meliorem. Lectio lingua vulgari facta aeque bona est « per se, » ac si fieret lingua latina: at per accidens id non ita esse, patet. Qui enim sciunt linguam latinam, plerumque sunt doctiores, atque adeo abusus non tantopere ex eorum lectione est pertimescendus; deinde versiones latinae corruptae et infideles rarius, quam vernaculae occurrunt.* 16.° Cuius est iudicare, utrum aliquis e tali lectione non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere possit? *Secundum eamdem indicis regulam, soli Episcopi, aut inquisitores e consilio pastoris vel confessarii, eam facultatem « in scriptis » tradunt; e communi autem virorum doctorum usu, licet lingua vulgari legere Scripturam s. iis qui ad munia ecclesiastica concionandi docendive disponuntur. Quod vero eos spectat, qui ad munia ecclesiastica non disponuntur, sed optime tamen callent linguam latinam, ea in re varius est variarum regionum usus. Unusquisque servet ecclesiae suae receptum morem. In nostra Dioecesi mechliniensi omnia dubia penitus sublata sunt mandato Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Sterckx, Archiepiscopi nostri, edito die quarta febr. 1841. Quum quidam opinarentur, in nostra dioecesi licitam esse lectionem Scripturae Sacrae, lingua vulgari, si modo versio vernacula ab Ordinario esset approbata, aut adnotationibus sanctorum Patrum doctorumve catholicorum illustrata, hunc usum hic numquam*

viguisse, declarat doctum illud sapientissimumque decretum, statuendo, bibliorum sacrorum versiones vernaculas qualescumque legere aut retinere non licitum esse, adeoque regulum quartam indicis hic omnem vim legis habere; sic tamen, ut 1.° facultas non debeat esse concessa in scriptis, 2.° ut ipse pastor aut confessarius eam facultatem impertiri queat, 3.° ut quamvis ea Biblia retinere non liceat, tamen «Ordinario» non sint tradenda; 4.° ut usitatum non sit, statutas poenas bibliopolis ea Biblia vendentibus infligere. Cum hucusque actum sit de solis versionibus catholicis, illud hic addendum putamus, N.° 3. ℥. 1. decretorum Indicis, omnia Biblia, opera haereticorum edita, vel eorumdem annotationibus, argumentis, summariis, scholiis et indicibus aucta, esse prohibita.

Hic iam locus esset agendi de variis variorum populorum versionibus modernis: at vero non illud nostrum est propositum, ut ad eam rem pertractandum longius excurramus. De iis tantum versionibus, quae in hac nostra patria prae caeteris in usu sunt, pauca dicemus; cum qui plura de his desiderant, facile adire queant Cl. professorem Glaire, qui optime illud argumentum tractat. Quum auctor satis late agat de translatione montensi, quae a.° 1667. prodiit titulo: «Le Nouveau Testament » traduit en Français, suivant la Vulgate, avec les différences du grec» et qua usus est Quesnellus in libro, qui inscribitur: «Réflexions sur le Nouveau Testament» et quem Clemens XI., solemni constitutione «Unigenitus» damnavit, nos pauca solummodo disputemus de iis, quae inscribuntur: «1.° Bible de Sacy. 2.° Commentaire littéral sur tous les » livres de l'Ancien et du Nouveau Testament, par D. Calmet. 3.° Bible » de Vence. 4.° Bible de Carrières.» Prima editio versionis «Le Maistre de Sacy,» Sacerdotis Portu-regii, prodiit Parisiis a.° 1612, 32 vol. in 8.° Celebris ea versio toties typis exscripta, permagni fit in Gallia; additae vero explicationes quum maximam partem compositae sint a Du Fossé, Huré, et Le Tourneur, pluribusque in locis Iansenismum sapiant, quamvis non raro aeque commendentur, periculo tamen non carent. In elucubranda versione montensi adiutor etiam fuerat de Sacy; sed postea, in integra sua versione, multa suppressit et emendavit, quae in versione montensi fuerant reprehensa. Eamdem illam versionem de Sacy, in commentariis suis, cum textu Vulgatae, admisit D. Calmet, sed in locis aliquot correctam aut immutatam. Hoc summae eruditionis opus in lucem prodiit Parisiis, 24 vol. in 4.°, a.° 1707-1716. Cum illuc fere congestum sit quidquid contra sacra Biblia obiici queat, non sine ratione amplum inimicorum nostrorum repertorium nuncupatur. Debiliores non raro sunt Calmeti confutationes, quam ut omnem difficultatem eae semper tollere videantur. Commentariorum D. Calmet Epitomen fecit L. E. Rondet, vir linguae hebraicae eruditus, a.° 1748-1750, 14 vol. in 4.°, quae Biblia hodie prostant nomine, «Bible de Vence;» quamvis hic posterior huic editioni paucas solummodo dissertationes et annotationes addiderit. In iis Bibliis integras dissertationes et praefationes D. Calmet, recognitas, atque locis aliquot auctas et emendatas conservarunt;

eius vero commentaria ad brevissimas tantum animadversiones redacta versioni de Sacy et paraphrasibus P. de Carrières addita sunt. Tandem quaeri potest quosnam labores scripturisticos susceperit postremus hic oratorii sacerdos, vel ideo maxime, quod eius opera omnium fere S. Theologiae alumnorum manibus versentur. Ipse operis titulus : « Com-» mentaire littéral inséré dans la traduction française (de de Sacy) » avec le texte latin à la marge, » quid auctor egerit, optime ostendit. Gallice igitur composuit litteralem Scripturae Sacrae interpretationem ipsi versioni gallicae de Sacy insertam, quae paraphrases quum sint fideles, et locis obscuris multum luminis adferant, iunioribus non exiguae sunt utilitatis, tum praesertim quum iis adiiciuntur commentarii Menochii, quales a.° 1838 prodierunt Insulis apud Lefort, 8 vol. in 8.°. Caeteras versiones gallicas praeteriri posse putamus, etiam illam quam nuper edidit « de Genoude » quae elegantia quidem, at nullo modo fidelitate commendari meretur. Iam transeamus ad versiones nostrates. Prima versio dicta « Winghiana » a Nicolao Van Winghe, Canonico regulari, prodiit Lovanii, a.° 1548. Quum vero a quibusdam doctoribus facultatis Theologiae Univ. Lov. esset correcta, etiam dicta fuit « Lovaniensis. » Ea versio postea accuratissime a doctoribus Lovaniensibus emendata, et ad novam Vulgatae editionem, post peractas romanas correctiones sub Sixto V et Clemente VIII, plane exacta, prodiit Antverpiae apud Ioannem Moerentorf, seu Moretum. Secunda « Dordracensis» a calvinistis, e decreto anni 1613 pseudosynodi dordracensis, confecta prodiit, a.° 1637. Tertia Aegidii De Wit, Sacerdotis belgae, de secta appellantium, in lucem edita est Ultraiecti, a.° 1717. Clara est, sed minime accurata. Quarta ab Andrea Van der Schuur gorcomiensi, sacerdote « appellante » eiusque continuatoribus in lucem edita est Ultraiecti, a.° 1732. Elegans ea versio saepe liberius a Vulgata recedit, et Iansenismi erroribus favet.

Flandricae versionis quae Psalmos et Novum Testamentum continet, quaeque a mendaci frontispicio Embricensis audit, auctores erant De Wit et Van der Schuur.

Quinta est Wilhelmi Smits nati in Kevelaer, a.° 1704, et mortui Antverpiae, a.° 1770. Doctissimus ille sacerdos Ordinis Frat. Min. Recoll. in Conventu Antverpiensi, et post ipsum Petrus Van Hove, eiusdem Ordinis sacerdos, magnam partem Vet. Test., nempe Pentateuchum, Tobiam, Iudith, Esther, Iob, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, librum Sapientiae et Ecclesiasticum, secundum Vulgatam flandrice converterunt, 21 vol. in 8.° Huic versioni addiderunt plena eruditione prolegomena, dissertationes, et observationes criticas et grammaticales. Optandum magnopere est ut, e doctissimis Seminariorum nostrorum, vel Universitatis catholicae professoribus aliquis huic operi perficiendo totum sese dedat, seu potius novam componat, pro Belgica, Vulgatae nostrae versionem flandricam, brevi, sed perpetua et clara locorum difficillimorum latina interpretatione locupletatam. Vir qui ar

duum hoc opus susciperet, feliciterque perficeret, optime sane de re catholica, et Belgii Clero, tum etiam de lingua flandrica mereretur, quod vel ex eo patet, quod fere omnes quotquot sumus, Belgae, ad versiones gallicas hodieque recurrere cogimur. Cfr. Glaire, tom. 1. p. 273-335.

§. XIX. 1.° Proba Scripturam sacram in locis non paucis esse obscuram. 60. 2.° Cur, secundum S. Aug., Deus hanc verbi sui obscuritatem voluit? 61. 3.° Enumera huius obscuritatis causas materiales. 61. 4.° Quales antilogiae in Scriptura s. reperiuntur? Proba responsum. 61.

§. XX. 1.° Quid est sensus Scripturae s.? Quomodo dividitur? utrumque illum sensum defini. 62. 2.° Quo modo uterque ille sensus subdividitur? 62. 3.° Da variorum illorum sensuum definitiones. 62-63. 4.° An ullus datur Scripturae locus sine sensu litterali? 63. 5.° An in uno eodemque Scripturae s. loco varii possunt esse sensus? Id Ostende in exemplo. 63. 6.° Da varios sensus, qui reperiuntur in una voce «Ierusalem» 64. 7.° Quid est sensus accommodatitius, et quid de eo censes? Cfr. Glaire, tom. 1. p. 336-378.

§. XXI. 1.° Quotuplex datur Scripturae s. interpretatio? Rem eam paucis expone. 65. 2.° Quid ad debitam Scripturae s. interpretationem in interprete requiritur? 65. 3.° Quid et quare, Concilium Trid. de Scripturae s. interpretatione decrevit? 66. 4.° Quomodo illud decretum et formula Professionis Fidei a Pio IV. praescripta, sunt intelligenda? Cfr. Glaire, tom. 1. p. 396-402.

Caput Secundum

Pro hoc et quatuor sequentibus capitibus utilissime legetur cl. Glaire, tom. 1. a p. 403. usque ad finem.

§. I. 1.° Proba Scripturam s. esse infallibilem, 67. 2.° Quam igitur regulam secundum S. Aug., hic sequi oportet? 67. 3.° An integra illa regula nostrae Vulgatae est applicanda? 67.

§. II. 1.° Penes quem est infallibili auctoritate Scripturam s. interpretari? 68. 2.° Id proba A) verbis Waltonis alioquin haeretici, B) variis aliis rationibus. 68. 3.° Quid, si patres in alicuius loci explicatione non conveniunt? 68.

§. III. 1.° Paucis explica hanc regulam: « Loca clara explicant obscura. » 69. 2.° Per eam regulam explica sequentia . « venit Iesus in civitatem suam. » Matth. 9, 1. Item: « scripsit in tabulis. » Exod. 34, 28.

§. IV. 1.° Quid faciendum, si sensus aliquis sit obscurus, aut oratio vel vox aequivoca? 70. 2.° Affer aliquot exempla, quibus ea res fiat clarior. 70-71.

§. V. 1.° Quid faciendum, si textus diversarum linguarum, vel etiam eiusdem linguae diversi codices, in aliquo Scripturae s. loco videntur repugnare? 71. 2.° Hoc modo concilietur textus, Matth. 2, 6., « Tu, Bethlehem etc. » cum eo qui reperitur Michaeae 5, 2., 71.

§. VI. Explica, quomodo duo textus translati possint esse ambo veri, etsi quoad sensum differant. Afferatur exemplum. 72-73.

§. VII. 1.° Quid faciendum, si diversarum linguarum textus, vel etiam eiusdem linguae diversi codices omnino inter se pugnant? 73. 2.° Affer aliquot exempla. 73-74.

§. VIII. 1.° Quid observandum quoad interpunctiones? 74. 2.° Quomodo quidam interpunxerunt initium Evangelii secundum Ioannem, et quomodo interpungendum est? Quare. 75-76. *Cfr. Wiseman, Rapports entre la science et la religion, tom.* 2. *p.* 171 *et* 226. 3.° Quid, si interpunctionis ambiguitas, neutra parte, sit fidei contraria? Detur exemplum. 75. 4.° Quid, si neque aliqua fidei regula, neque alio quocumque modo, ambiguitas explicari possit? Da exemplum. 75. 5.° An Scriptura s. primitus ab hagiographis conscripta fuit cum ea capitum, versuum et interpunctionum divisione, quam nunc in ea observamus? 77. 6.° An Ecclesia eam divisionem, quae in Vulgata latina reperitur, omnino praescripsit? 77. 7.° Quando, et a quo haec capitum divisio facta est? Quando autem distinctio versuum? 77-78.

§. IX. Quid in pronuntiatione observandum est? Id paulo latius expone, et in exemplis ostende. 78.

§. X. An, ut textus aliquis recte intelligatur, ipsa sola verba sunt consulenda? Quare? affer exemplum, quo res fiat clarior. 79.

§. XI. An sufficit attendere ad « priora, media, et sequentia? » quare? Id monstra exemplo. 79-80.

§. XII. Explica hanc regulam: « Scriptura est intelligenda, ut iacet, nisi aliquid obstet. 80.

§. XIII. 1.° Cur quaedam metaphorice sunt intelligenda? Rem exemplis ostende. 81. 2.° Quando generatim verba sunt metaphorice intelligenda? 81.

§. XIV. An ex eo, quod unum vocabulum sumitur metaphorice, sequitur, totum esse metaphorice intelligendum? Afferantur exempla. 81-82.

§. XV. 1.° Expone haec verba Isaiae 53: « Generationem eius quis enarrabit. » 82. 2.° Dic, quomodo idem ille locus tot diversos sensus habere queat. 82.

§. XVI. 1.° Unde fit, ut eiusdem loci eadem vox a variis interpretibus, vel etiam ab eodem interprete, in diversis locis, varie exponatur? 83. 2.° Affer exempla; item quid ex eo principio sequitur? 83-84.

§. XVII. Qui fit, ut idem nomen hebraeum saepe tam diversimode transferatur? Detur exemplum. 84.

§. XVIII. 1.° Cur interpretes in suis versionibus plures voces hebr. retinuerunt? Aliquot ex iis vocibus affer. 85. 2.° An semper eas voces sic retinent, et quomodo tum eas convertunt? Rem clarius expone in voce « selim. » 85.

§. XIX. Ostende in voce: « portare, » quomodo eadem vox in diversis locis possit contraria significare. 87.

§. XX. Monstra Scripturam s. non approbare quaecumque ab aliis relata refert 87

§. XXI. Explica, quomodo Scriptura s. aliquoties, in loquendo, vulgi opinioni sese accommodet. 88.

§. XXII. 1.° An in Script. s. aliquoties deprehenduntur vestigia quaedam mythologiae? 89. 2.° An tum credit, quod de Mythologia affert? Id ostende exemplo. 89.

§. XXIII. Monstra in Script. s. etiam reperiri quasdam fictiones. 90.

§. XXIV. Ostende exemplo, a Script. s. non approbari ea, a quibus similitudines trahuntur. 90.

§. XXV. Monstra exemplis, Scripturam s. etiam uti hieroglyphicis, symbolis et aenigmatibus. 91.

§. XXVI. 1.° Quid, et quare in parabolarum explicatione praecipue spectandum est? 91. 2.° Quaenam igitur in parabolis comparatio seu similitudo quaerenda est? rem exemplo ostende. 92.

§. XXVII. Exemplis ostende, particulam comparativam in Litteris divinis saepe subaudiri. 92.

§. XXVIII. Ostende exemplo, eamdem rem diversorum, quinimo contrariorum, quandoque esse figuram. 93.

§. XXIX. Monstra exemplo, 1.° transitionem a figura ad figuratum non semper exprimi; 2.° figurae nomen ipsi rei figuratae tribui. 94.

§. XXX. Quid observandum in transitionibus ab una persona ad aliam? 94.

§. XXXI. 1.° Explica, quomodo magnalia quae de Messia et synagoga praedicuntur, sint intelligenda. 95. 2.° Quomodo hoc ex Isaia contra Iudaeos ostendi potest? 95. 3.° Eodem sensu explica, quomodo Christus dicatur omnes debellaturus, occisurus. 95. 4.° Quomodo Iudaei errant circa duplicem Christi adventum? 95-96.

§. XXXII. 1.° An promissiones in ipso, cui fiunt, semper adimplentur? Id ostende exemplis. 2.° Monstra, non omnia quae de Christo dicuntur, ei in persona convenire. 96.

§. XXXIII. Quomodo minae et promissiones in Scriptura s. sunt intelligendae? 96-97.

§. XXXIV. Cur Deus aliquando loquitur, ac si dubitaret? Adde exemplum. 97-98.

Caput Tertium

§. I. Quali « prolepsi » Scriptura s. non raro uti solet? Adde exempla. 98.

§. II. Quid vocat s. Aug., in Litteris divinis, « recapitulationem? » Da exemplum. 99.

§. III. Quid est « hyperbaton? » Ostende illud in Scriptura s. usurpari. 100.

§. IV. 1.° Quid dicit s. Bonav. de figura, quae ab ipso vocatur « anthropopathos? » Id latius expone. 101. 2.° Quid, ea occasione, dicit s. Greg. de anthropomorphismo? 102.

§. V. Quid est « extenuatio? » Eam ostende in exemplo. 103.

Caput Quartum

Caput Quintum

Caput Sextum

CAPUT SEPTIMUM

pliciter vox «hebdomas» accipitur? 177. 5.° Qualibus mensibus annus initio constabat? Quot et quales anni species apud Hebraeos distinguuntur? Dentur 12 mensium nomina. 177-178. 6.° An geometriae, Mechanicae, et Geographiae omnino rudes erant Hebraei? 178. 7.° Quam de re medica, chirurgica et historia naturali scientiam habebant? 178-179. 8.° Quam de philosophia? Item unde natae sunt sectae Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum? 179. 9.° Quomodo eruditi apud Hebraeos nuncupabantur? Ubi Iudaeorum doctores docebant? 179. *Cfr. Sigon. de Rep. Hebr. lib. V. Cap.* 10. *et Glaire, tom. II. p.* 281-307.

§. VII. 1.° Quinam olim primas in mercatura tenuerunt, et qualis eius status fuit inter Hebraeos? 180. 2.° Quinam, in mercatura, ponderum et mensurarum rectitudinem curabant? Quomodo generalim pondera et mensurae sunt distinguenda? cur? An nummi et pondera erant diversa? cur? 180. 3.° Enumera praecipua pondera, nummosque cusos, quorum fit mentio in Scriptura s. 181. 4.° Exhibe in tabula ponderum et monetarum Vet. et Nov. Test. proportionem. 181. 5.° Quaenam observanda sunt ad hanc tabulam? 6.° Da valorem monetarum hebraicarum respective ad nostram monetam decimalem. 182. 7.° Exhibe in tabula, praecipuas «continuorum» mensuras, earumque inter se proportionem. 183. 8.° Item mensuras «discretorum,» cum «aridorum» tum «liquidorum.» 183. *Cfr. Glaire, tom. II.* 311-345.

§. VIII. 1.° Quaenam prima fuerunt protoparentum nostrorum vestimenta? Quaenam vestium materia plurimi erat aestimata? Enumera varias vestimentorum species. 184. 2.° Quid de calceis, barba, capillis, scitu necessarium? Quale discrimen vestem muliebrem inter et virilem? 184-185. 3.° Quaenam ornamenta erant mulierum propria? Quaenam erat vestis lugubris? 185. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 346-387.

§. IX. 1.° Quaenam erant prima hominum alimenta? An χρεοφαγία ante diluvium fuit licita? 185. Quis cibos praeparabat? quosnam? 186. 2.° Quomodo dividebantur cibi Hebraeis interdicti? Quid eo interdicto obtinebatur? Quaenam animalia erant munda? 186. 3.° Quis erat Hebraeorum potus? Quando prandebant? quando autem coenabant? quomodo ante Christum, quomodo vero Christi aetate ad mensam sedebant. 186-187. 4.° Quibus instrumentis ad mensam utebantur? An omnes eodem orbe et calice utebantur? Qualia erant eorum convivia? 187. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 396-418.

§. X. 1.° Quid de polygamia inter Hebraeos observandum est? 187-188. 2.° Quinam erant ritus sponsalium vel connubiorum? 188. 3.° Quid erat ius Leviratus? 188. 4.° Quale erat adulterii supplicium? Quomodo dubium mulieris adulterium explorabatur? 189. 5.° Quid de repudio et divortio animadvertendum? Quomodo mulier, post partum, purificabatur? 189. 6.° Quid de circumcisione et primogenitura animadvertendum est? Quid de liberorum educatione, et quid de haereditate? Quomodo societas domestica adeo crescebat? 189-190. 7.° Qua ratione apud Hebraeos servi fiebant? 190. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 420-455.

§. XI. 1.° Quid observatur de Hebraeorum indole et vita? Quid de morum elegantia? Quid praecipue agebatur in ianua urbis? 190-191. 2.° An lege provisum erat peregrinis et pauperibus? 191. 3.° Cur, in lege mosaica, tot munditiae legales erant definitae? Quid ex immunditie oriebatur? Quinam erant immundi, et quomodo ea immunditie liberabantur? 191. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 455-472.

§. XII. 1.° Quinam erant morbi maxime obvii? Quomodo differunt lepra et pestis? 191-192. 2.° Quomodo mors considerabatur? Quomodo cadaver ad sepulturam parabatur? Ubi et quomodo mortui sepeliebantur? 192-193. 3.° Quotuplex, et qualis erat orientalium luctus? 193. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 473-495.

Caput Octavum

§. I. 1.° Qualis initio erat reip. hebraicae forma? Qualis in Aegypto? Quid Deus egit, ut vera religio inter Hebraeos conservaretur? Quid fecit, ut ne unquam obliviscerentur, Deum esse suum regem? 194. 2.° An ergo multa, in hac theocratica civitatis forma, sub Moyse immutata fuerunt? 195. 3.° Quotuplicia erant procerum comitia? Quomodo Deus se supremum ostendebat reip. rectorem? Quamdiu sic Israelitas gubernavit? 195. 4.° An, cum monarchia fuit instituta, ea regiminis forma non omnino fuit immutata? 196. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 496-502.

§. II. 1.° Paucis describe regum hebraeorum inaugurationem. 196. 2.° Qualis erat regum vestitus? Quid diadema? thronus? sceptrum? 3.° Unde nomen sibi pariebant reges? Qualia erant regum iura et officia? Qui eorum proventus? Qui magistratus. 196-197. 4.° Enumera praecipuos ministros aulicos. 197. 5.° Ostende, apud Hebraeos magnum fuisse suae regiminis formae amorem. 198. 6.° Qua occasione natae sunt tetrarchiae? 198. 7.° Quomodo, et a quibus Iudaea, quum facta esset provincia romana, gubernabatur, et quomodo vectigalia exigebantur? 198. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 509-529.

§. III. 1.° Quomodo, e lege mosaica, ius dicebatur? Quomodo Sanhedrin institutum fuit? Quot iudicibus constabat? Quisnam erat praeses, et quinam assessores? Quid illud tribunal agebat? Quomodo a Romanis huius tribunalis potestas limitata fuit? 199. 2.° Quaenam alia erant Hebraeorum Synedria, et quasnam causas tractabant? 199. 3.° Quando, et ubi causae forenses agebantur? Paucis expone quaecumque ad iudicii formam spectant. 199. 4.° Enumera praecipua poenarum genera apud Hebraeos. 199-200. 5.° Quinam sententias mortis exequebantur? 200. 6.° Quot, ubi, et quid erant « urbes refugii? » 200, *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 532-537.

§. IV. 1.° Unde orta sunt bella? Quomodo patriarchae vim vi propellebant? 201. 2.° An, et quando Iudaei maxime potentes bello fuerunt? Quibus, et qua vitae aetate militandum erat? 201. 3.° Quomodo fiebant conscriptiones et delectus? Quomodo milites erant distributi? Item quomodo ipsa militum agmina erant diversa? 201. 4.° Quomodo, ratione

armorum, exercitus pedestris erat divisus? Quando fiebat militum lustratio? 201-202. 3.° Enumera, et accurate describe praecipua Hebraeorum arma. 202. 6.° Quid in metandis castris observabant? Quid ante bellum faciebant? Quid ante pugnam? 203. 7.° Quid, si urbi cuipiam imminerent? Quid erant circumvallationes, quid valla seu aggeres? 203. 8.° Quodnam, eo tempore, erat ius belli? 204. *Cfr. Glaire, tom. II. p* 559-586.

§. V. Da brevem conspectum historiae religionis A) a mundi origine ad diluvium; B) a diluvio ad Abrahamum; C) ab Abrahamo ad Moysen; D) a Moyse ad dedicationem templi; E) a dedicato templo ad finem captivitatis babylonicae; F) a fine istius captivitatis ad Christi adventum. 203-206. 2.° Quis erat religionis Iudaicae status, versus adventum Messiae? Quid inde pro religione christiana secutum est? An Iudaei adeo a se invicem dissiti, aliquo etiam vinculo inter se erant coniuncti? 206. 3.° Unde nata est divisio Iudaeorum in « Pharisaeos, Sadducaeos et Essenos? » Unde « Pharisaei » sic vocantur? quo tempore haec secta nata est? Quid de huius sectae doctrina et moribus sentiendum videtur? 206. 4.° Quaenam, tempore Christi, falsa dogmata profitebantur? 207. 5.° Unde Sadducaei sic vocantur? Da potissima ipsorum dogmata. 207. 6.° Quinam erant Esseni, et quae eorum dogmata? Quomodo differebant a « Therapeutis? » 208. 7.° Quinam dicebantur Hellenistae, qui Proselythi, et quomodo hi dividebantur? 208-209. 8.° Quinam erant Samaritani, et quomodo vel maxime a Iudaeis differebant? 209. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 587-594.

§. VI. 1.° Ubi Deus ante Moysen, ubi vero a Moyse ad Salomonem colebatur? 209. 2.° Da brevem Tabernaculi descriptionem. 209. 3.° Quid erat, et quid capiebat « atrium? » 211. 4.° Quid erat in « Sancto; » quid autem in « Sancto Sanctorum? » 212. 5.° Ubi arca Dei fuit conservata? Quo autem fuit translata? 213. 6.° Paucis describe templum Salomonis, eiusque ambitum. Quamdiu hoc templum stetit? 213-214. 7.° Quid de duobus aliis succedentibus templis scire decet? 214. 8.° Ubi sacrificia offerre licebat? Quid ergo, et ad quid synagogae? Quid proseuchae? 214-215. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 603-622.

§. VII. 1.° An, et quale sacrificium Hebraei quotidie offerebant? Quaenam dies prae caeteris erat sancta? cur? 215. 2.° Quid est annus sabbaticus, quid annus iubilaeus? 215-216. 3.° Quid vocas festum neomeniae? 216. 4.° Quaenam erant tria festa maiora? Cur festum Paschatis erat institutum? Quid tum fiebat? Quid autem secunda die Paschatis? 216. 5.° Cur festum Pentecostes fuit institutum? 216. 6.° Quodnam erat festum Scenopegiae? Quaenam erant festa Tubarum et caetus? 217. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 622-633.

§. VIII. 1.° Cur posteri Abraham dicebantur « Sancti? » Quinam initio erant sacerdotes? Qui vero, aetate Moysis, iis fuerunt substituti? An ergo omnes Levitae erant Sacerdotes? 217. 2.° Quomodo David adultos Levitas divisit? Quomodo, Davidis tempore, posteri Aaron in varias classes

divisi fuerunt? 218. 3.° Quis primus summus pontifex a Deo fuit constitutus? Quando Sacerdotes vestitum sacrum gerebant? Eorum vestes enumera. 218. 4.° Quaenam erant vestes sacrae Summi Pontificis? 219. 5.° Quinam erant ministri Synagogarum? 220. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 636-647.


§. IX. 1.° Quid est Sacrificium? Quid censes de iis sacrificiis, eorumque origine? 220. 2.° Quomodo, e lege mosaica, sacrificia dividuntur, et subdividuntur? Ubi ea sacrificia erant offerenda? 221. 3.° Quaenam animalia in victimas offerri poterant? Quinam erant Sacrificiorum ritus? 221. 4.° E quibus rebus sacrificia incruenta offerebantur? 222. 5.° Quomodo immunditiae distinguebantur? Quomodo autem tollebantur? 222. 6.° Quomodo leprosi purgabantur? Quid de primogenitis hominum et animalium scitu dignum? 223. 7.° Quid de primitiis? Quid de decimis? 223. 8.° Quid de oleo sacro? 224. 9.° Quid de iuramento? Quid de votis? 224. 10.° Quinam erant Nazaraei? Quinam Rechabitae? 225. 11.° Quid de precibus et precantibus observandum? 225. 12.° Quid de cultu publico in Synagogis? 225-226. 13.° Quid pro liturgia apostolica observandum? 226. *Cfr. Glaire, tom. II. p.* 652-671.

§. X. 1.° Unde idololatria ortum ducit? 226. 2.° Quid de idolorum aris, templis et sacerdotibus, memoria dignum? 227. 3.° Paucis describe cultum idololatricum. 227. 4.° Quinam impostores, apud idololatras, magni aestimabantur. 227-228. 5.° Quid de simulacris, quae in Bibliis occurrunt, observandum? 228-229. 6.° Nomina praecipuas divinitates, quarum fit mentio in Scriptura sacra. *Cfr. Glaire, tom. II p.* 673-682.

V. De Mandato Excell.mi et Ill.mi D. D. Archiep.
Th. Ioseph Ghiringhello.






LIBRARY OF


CHRISTIAN THEOLOGICAL SEMINARY LIBRARY
3 9305 01040810 0

